MASTER NEGATIVE

NO. 93-81698-3

AUTHOR:
DOLEGA , SILVIUS

TITLE:
DE SALLUSTIO
IMITATORE THUCYDIDIS

PLACE:
VRATISLAVIAE

DATE:
1871

Master Negative #

93-81698-3

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87SD
Z61 Dolega, Silvius, 1846-

De Sallustio imitatore Thucydidis, Demosthenis aliorumque scriptorum Graecorum; dissertatio philologica quam... publice defendet auctor Silvius Dolega... Vratislaviae, Typis officinae A. Neumanni, [1871]

ix, 59 p. 21 cm.

Thesis, Breslau, 1871.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/25/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BEST COPY AVAILABLE

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

PATRI DILECTISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

Ab omnibus qui diligentius Sallustium cognoverunt scriptoribus et veteribus et recentioribus concessum est, libros de coniuratione Catilinae, de bello Iugurthino, historiarum ab exemplo Thucydidis pendere. Cuius rei cum compluria nobis exstent ex antiquitate testimonia itemque veteres cognoverint, Sallustium rectum imitationis modum excessisse, hoc loco breviter, quid scriptores Romani hac de re senserint, quaeramus. Omnino enim consueverant Romani componere Sallustium cum Thucydide non aliter atque alios etiam scriptores Romanos cum Graecis comparaverunt, quoniam eam maxime gloriam quaesiverunt, ut litteras quoque Graecorum adaequarent, cum superari eos litterarum studiis nullo modo posse ipsi intellegerent. Ita Quint. 10, 2, 17 Sallustium componit cum Thucydide: „Attici praecisis con- sionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem supe- nt,“ idemque 10, 1, 101: „nec opponere Thucydidi llustium verear.“ Velleius 2, 36, 2 Sallustium vocat mulum Thucydidis“ atque Seneca rhetor morem com- morat Thucydidis, ut morti magni alicuius hominis endae descriptionem vitae morumque addat, qua in

re Sallustium comparat cum Thucydide Suas. p. 35, 11 sq Burs.: „Quotiens magni alicuius mors ab historicis nar-rata est, totiens fere totius consummatio vitae, et quasi funebris laudatio redditur. Hoc semel aut iterum a Thucydide factum, item in paucissimis personis usurpatum a Sallustio.“

Deinde huc referendus est locus ex Suet. gramm. 10: „(Ateius Philologus) coluit postea familiarissime C. Sallustium et eo defuncto Asinium Pollionem, quos historiam componere aggressos alterum breviario rerum omnium romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, instruxit, alterum praeceptis de ratione scribendi . quo magis miror Asinium credidisse antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio, cum sibi sciat nil aliud suadere quam ut noto civilique et proprio sermone utatur vitetque maxime obscuritatem Sallustii et a u d a c i a m in translationibus.“ Non recte hunc locum mihi interpretari videntur qui putant, translationes esse *μεταφοράς,* Metaphern, etsi facillime ad eam interpretationem falsam inducimur. Agitur enim de tribus rebus, de noto civilique et proprio sermone, de obscuritate, de translationibus. „Translatio“ autem et „transferre“ aeque ac „tollere“ in terminis grammaticae technicis numerantur et ponuntur, cum grammatici verbum aliquod vel versum sive locum ex alio fonte deduct significare volunt, ut Otto Jahn. in Philologo vol. a. 1867 p. 15 exponit compluribusque exemplis illustr Porro in scholis rhetorum ad translationes ex g scriptoribus factas significandas, obelum esse usurpat Reifferscheid. ex anecdoto Cavensi de notis antiqu

in Mus. Rh. vol. 23 p. 128 eruit et p. 131 ita disserit: „Eine eigenthümliche Anwendung fand nach unserem Verzeichnisse der Obelus, indem er die translata, d. h. das von Andern Entlehnte bezeichnete.“ Igitur cum alios locos, quibus eadem translationum vel transferendi consuetudo Sallustii commemoratur, comparemus, de nostra interpretatione dubitari iam non posse existimo.

Quantopere Livius Sallustii morem sententiarum ex Graecis scriptoribus transferendarum vituperaverit, maxime elucet ex Sen. Controv. 8, 13 p. 249 ed. Burs., quo loco Seneca Sallustii brevitatem laudibus extollit eaque Thucydidem ab eo esse superatum censet: „Multas quaestiones rhetorici et poetae Romani a Graecis dictas non surripuerunt, sed et provocaverunt. Thucydidis (potius Demosthenis Olynth. 2, 20) sententia est: „*Δει-*
ναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύφαι καὶ συσκιάσαι τὰ
ἑκάστων ἁμαρτήματα.“ Sallustius: Res secundae mire
sunt vitiis obtentui. Sic cum sit praecipua in Thucy-
dide virtus brevitas, hac eum Sallustius vicit, et in suis
eum castris cecidet. Nam in sententia Graeca tam brevi
habes quae salvo sensu detrahas. Deme vel *συγκρύψαι*
vel *συσκιάσαι,* deme *ἑκάστων,* constabit sensus, etiamsi
non aeque comptus, aeque tamen integer. At ex Sallustii
sententia nihil demi sine detrimento sensus potest. T. autem
Livius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam senten-
tiam, et tanquam translatam et corruptam, d u m t r a n s-
f e r r e t u r, obiceret Sallustio: nec amore Thucydides
(Demosthenis) facit, ut illum praeferat, sed laudat, quem
non timet: et facilius putat a se posse Sallustium vinci,
si ante a Thucydide vincatur.“

Consuetudinem porro Sallustii mutuandi constructiones Graecas atque ex Graeco in sermonem Latinum transferendi, haud dubie Quintiliani exprimunt verba 9, 3, 17: „ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est: vulgus amat fieri.“

Loci quos attulimus de Sallustio primum demonstrant, iam a veteribus multos apud Sallustium graecismos esse inventos (Quint. 9,3,17), deinde multas sententias ex Graecis scriptoribus ad verbum translatas in Sallustii libris esse comprehensas (Sen. Controv. 8,13 p. 249 Burs.), tum in aliis quoque nonnullis rebus similitudinem inter Sallustium et Thucydidem intercedere (Sen. Suas. p. 35,11 sq. Burs.). Tamen concedendum nobis est, ipsius consilii atque dispositionis librorum Sallustii exemplum esse opus Thucydideum a veteribus diserte nondum esse expressum. Rhetoricam tamen Sallustianorum librorum naturam iam senserunt, sicut ex Liciniano elucet p. 42 sq. ed. Bonn.: „Sallustium non ut historicum puto sed ut oratorem legendum“; itaque quaestionem, quatenus Sallustius in rhetoricis quoque rebus a Thucydide Demosthene aliisque, quos studiosissime tractavit, pendeat, praeterea esse tractandam puto. Commentationem igitur in tres partes distribuam; ac primum quidem mihi erit quaerandum, quatenus consilium et dispositio librorum Sallustianorum ab opere Thucydideo pendeat; deinde quas sententias locosque Sallustius ex Graecis scriptoribus transtulerit quatenusque rhetorice ad Thucydidem aliosque se applicaverit; denique quas constructiones Graecas adhibuerit.

Quamvis igitur veteribus, nec minus recentioribus

temporibus a multis affirmatum sit, Sallustium sibi elegisse Thucydidem ut exemplum, quod in libris conscribendis sequeretur; tamen quibus in rebus ac quatenus Thucydidem aliosque scriptores Graecos imitatus sit, nunquam adhuc uberius tractatum est. Quare perpetua commentatione quaerere, quatenus Sallustius imitationes scriptorum Graecorum ac praecipue Thucydidis Demosthenisque sibi permiserit, operae pretium mihi esse videtur. Sed quoniam praeter ea, quae in commentariis ad Sallustium scriptis hac de re dispersa sunt et dissipata, nihil fere adhuc scriptum aut collectum est de Sallustii imitationibus scriptorum Graecorum, excusationem me consecuturum spero, si in tam arduo opere multa melius potuerunt tractari nec praestiti quae praestari debuerunt.

I.

Quatenus consilium dispositioque librorum Sallustii pendeant ab opere Thucydideo.

Quamvis veteres ad ipsum librorum Sallustianorum consilium animos non ita accurate converterint, tamen proprietates quasdam Sallustii non praetermiserunt. Ita Quint. 3, 8, 9: „Sallustius, inquit, in bello Iugurthino et Catilinae nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est,“ eumque adicit hac in re Isocratem in Helenae laude atque in Panegyrico et Gorgiam in Olympico secutum esse. Senecae rhetoris locum (Suas. p. 35, 11 sq.), quo Sallustio Thucydidique communem dicit esse morem, ut in referenda morte magnae alicuius personae „totius fere consummationem vitae“ addant, supra iam attuli. Iustin. 38, 3, 11: „Pompeius Trogus . . . . . in Livio et in Sallustio reprehendit quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserint.“ — Omnes quos attuli loci ad singulas spectant Sallustii consuetudines, quae imitatione ex Thucydide aliisque sunt expressae. Sed cum et scriptores ambos et quibus temporibus vixerint et quam materiam sibi elegerint et rationem, qua eam operibus suis tractaverint, diligentius perquiramus, multo plures similitudines, vel potius imitationes Sallustii ex Thucydide inveniemus.

Longe aliter permovemur, cum opus Thucydideum continenter perlegimus atque cum libros Sallustianos pertractamus. Admirabilis, ut temporibus illis, critice historica Thucydidis, veritatis studium, animus ab omni cupiditate alienus (ut alias omnes virtutes praetermittamus, quae omnibus temporibus Thucydidi et concessae

sunt et concedentur) faciunt, ut quicunque librum eius legerit, abripiatur. Quare non mirum videtur, Sallustium, praesertim cum vitae atque temporum, quibus ipse vixit, similitudinem quandam cum Thucydide intercedere putaverit, Thucydidem maxime sibi elegisse, quem sequatur. Nam et Thucydides et Sallustius vixerunt temporibus, quibus Graecia et Italia longis bellis civilibus dilaceratae sunt. Ambo primum ad rem publicam lati erant, tum autem ad componendam historiam se contulerunt. Paucis verbis Thucydides refert, quo modo impulsus sit, ut bellum Peloponnesiacum scriberet, commemoratque exilium suum viginti annorum, quasi de parva aliqua re dicat 5, 26, 4: *„ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ (πολέμου), αἰσθανόμενός τε τῇ ἡλικίᾳ καί προσέχων τὴν γνώμην, ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι καὶ ξυνέβη μοι φεύγειν τὴν ἐμαυτοῦ ἔτη εἴκοσι μετὰ τὴν ἐς Ἀμφίπολιν στρατηγίαν καὶ γενομένῳ παρ' ἀμφοτέροις τοῖς πράγμασι, καὶ οὐχ ἧσσον τοῖς Πελοποννησίων διὰ τὴν φυγήν, καθ' ἡσυχίαν τι αὐτῶν μᾶλλον αἴσθεσθαι.“* Hunc locum conferamus cum Sallustiano Cat. 4, 1. 2: „ubi.... mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi, ... statui res gestas populi Romani .... perscribere; eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus rei publicae animus liber erat.“ Simili atque ut mihi quidem videtur non minus glorioso modo Sallustius in historiarum fragmentis de se praedicat 1, 5 (Dietsch.): „Neque me divorsa pars in civilibus armis movit a vero.“ Cum Thucydides affirmet, diligenter se advertisse, ut aliquid certi cognoscat, atque facultatem sibi esse oblatam res quoque Peloponnesiorum cognoscendi, vitetque omnino gloriari eo quod animum ab omni partium studio alienum sibi servaverit, quippe qui optime ex toto opere elucere possit, Sallustius Thucydidis quidem exemplum secutus, sed multo superbius dicit, sibi non totum modo otium reliquae aetatis libris conficiendis fuisse, sed adicit etiam, animum a partibus rei publicae sibi fuisse liberum. Usque eo praeconii domestici Thucydides non est progressus; immo affirmat, cum viginti annos in exilio vixerit, animum a partibus rei publicae liberum habere se potuisse. Quamvis non sit huius commentationis quaerere, quatenus Sallustius Caesaris delicta contagionemque coniurationis Catilinariae silentio praetermiserit, de Pom-

peio severius acerbiusque iudicaverit; tamen defensor quoque acerrimus popularium concedet, Sallustium non eo iudicio integro atque incorrupto ad libros conscribendos aggressum esse eosque perfecisse, quo Thucydides opus suum conscripsit. Summo cum studio et amore Sallustius mores describit praeclarorum popularium; summa cum diligentia summaque arte praecipue Memmii et Marii orationes sunt scriptae. Tamen concedendum est, orationem quoque Catonis in senatu diligenter esse elaboratam eiusque mores aeque ac Caesaris summa cum admiratione descriptos laudibusque esse elatos.

Atque re vera negare non possumus, vitarum condiciones amborum historicorum quodam modo inter se fuisse similes; fierique potuit, ut Sallustius naturae suae atque ingenii similitudinem cum Thucydide sentiens, ad eum se applicaret. Nam quis unquam scriptorum alium, qui ipsius naturae ingenioque oppositus sit, ut exemplum sibi eliget, quod sequatur? Tamen iam illo ambo historici discrepant inter se, quod Thucydides statim conflato bello materiam colligere incepit et ad opus conscribendum aggressus est atque ipse parti classis Atheniensium praefuit; Sallustius in libros componendos non prius incubuit quam in re publica gerenda nihil iam posse gloriae quaeri intellexit.

Roscherus in libro, quem inscripsit: „Leben, Werk und Zeitalter des Thucydides. Göttingen 1842“ uberius disseruit sententiam initio permiram accuratius exsecutus, Thucydidem cum Aristophane animo coniunctum fuisse, ambos sequentes nobilium partes ut in re publica ita in religione antiquos mores conservare studuisse atque novos repudiasse; quod alter fecerit ut historicus tristi animo dolentique de dissoluta severitate interituque morum antiquorum, alter ut comicus fabulis acerbis asperioribusque facetiis contra novatores in re publica rebusque divinis. Talia enim tempora, qualia fuerunt bellum Peloponnesiacum bellaque civilia in Italia gesta, quibus disciplina moresque intereunt omniaque „divina promiscua“ haberi incipiunt, aptissima sunt ad satiram acerbissimam provocandam. Qua quidem Thucydides omnino se abstinet. Invenitur enim apud eum quiddam maestum atque triste; nec mirum, cum doleat de sceleribus longinquitate belli in dies crescentibus — *ὁ δὲ*

πόλεμος βίαιος διδάσκαλος 3, 82, 2 —; quorum scelerum fontem putat esse debilitatem naturae humanae, quae omnibus temporibus eadem sit (ἕως ἂν ἡ αὐτὴ φύσις ἀνθρώπων ᾖ 3, 82, 2). Nihil eorum omnium apud Sallustium invenies, qui facetiis acerbis temporum suorum vitia perstringit. Cum Thucydides tranquillo animo de moribus Graecorum deperditis disserat atque quodam modo a profano vulgo se abstineat seque ipso sit contentus, ut nobilitatis amicum decet, qui quae ipse sentit sine ulla violentia proferre solet, in Sallustio, ut popularium studioso adversarioque nobilium, acerbissimum invenimus ludibrium prodiens ex profunditate animi de vitiis hominum non dolentis, sed perturbationibus flagrantis. Gell. 17, 18 dicit: „M. Varro . . . . in libro, quem scripsit „Pius aut de pace," C. Sallustium scriptorem seriae illius et severae orationis, in cuius historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus...." In Thucydide maestitiam invenimus de vitiis aetatis suae, in Sallustio acerbam ac fere furentem indignationem. Quare ut Sallustius ad imitationem Thucydidis se conferret, fortasse similitudine temporum vitarumque condicionum, quibus ambo viri illustres vixerunt, compulsus est; sed si Sallustius, ut mihi quidem videtur, similitudinem morum suorum cum Thucydide intercedere putavit, opinione certe falsus est. — Quatenus autem singulae partes librorum Sallustianorum ab exemplo Thucydidis pendeant, iam videamus.

Ac primum quidem egregii viri Kritzii in epistola critica ad Ernestum Wuestemannum in edit. fragm. p. XXII. sententia est reicienda, quam opusculo viri doctissimi Gustavi Linkeri: de Sallustii Historiarum Prooemio Marburgi 1850 p. 10 falso subicit, Sallustium maxime ob similitudinem prooemii historiarum cum prooemio operis Thucydidei a Quintiliano (cfr. 10, 1, 101. 10, 2, 17. Vell. 2, 36, 2) Thucydidis aemulum fuisse dictum. Nescio quo pacto factum sit, ut Kritzius in Linkeri libello eam sententiam prolatam putaverit, cum nihil eiusmodi dixerit Linkerus. Porro si Sallustius Thucydidem nulla alia in re nisi in prooemio historiarum aemulatus esset, Quintiliano haud facile in mentem venisset, ut Thucydidis aemulum eum nominaret, aut addere non omisisset, Sallustium in prooemio historiarum aemulum Thucydidis esse, sicuti etiam 3, 8, 9 in principiis belli Iugurthini et Catilinarii Isocratem in Panegyrico et Gorgiam in Olympico secutum eum esse dicit. Concedo quidem, quin etiam contendo, prooemium quoque historiarum, quod Sallustius non sententiis nihil ad rem pertinentibus orditur ut Catilinam et Iugurtham, sed quo et priora tempora breviter perstrinxisse et de bello sociali et Sullae civili accuratius egisse videtur, scriptum esse ad exemplar prooemii longioris apud Thuc. 1, 1—23. Sed Sallustium multis aliis quoque in rebus aemulum Thucydidis esse, infra cognoscemus. Magnopere dolendum est, quod Sallustii historiarum libri aetatem non tulerunt; ex iis enim multo magis fortasse aemulatio Thucydidis in toto consilio cognosci potuisset quam ex Catilina Iugurthaque, nihilque repugno iis, quae (quamvis argumentis careant) Kritzius in epist. crit. p. XXII dicit: „Certe ea laus (aemulationis Thucydidis), quam non ad prooemium solum pertinere consentaneum est, ei Historiis magis, quam Catilina et Iugurtha parta est." Ut Thucydides opus brevi argumento incipit: „Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους" etc., ita Sallustius quoque Thucydidis exemplum secutus historiarum principium eodem fere modo similibusque verbis facit: „Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo consulibus ac deinde militiae et domi gestas conposui." Quam imitationem Linkerus quoque commemorat in libello citato p. 9 sq.: „Sallustius in principiis statim „Thucydidis aemulum" egit (Vell. 2, 36, 2), ita ut simpliciter quod sibi elegerit initium scribendi significaret neque pro illius aevi more philosophandi studio abriperetur, id quod in minoribus eius scriptis non ita cautum videmus." Thucydides brevi argumento summo cum iudicio critico, ut illis temporibus, de rebus Graecorum vetustissimis loquitur, de bello Troiano, de bellis cum Dareo Xerxeque gestis, commemorat vitia historicorum priorum atque sui ipsius operis virtutes praedicat. Eodem fere modo Sallustius in prooemio historiarum versatur. Breviter tempora priora rerum Romanarum perlustrat ac loquitur de iis, qui in historia conscribenda ipsum praecesserunt, qua in re brevitatem Catonis laudat,

ut Victorin. ad Cic. Rhet. 1, 20 docet. Thucydides 1,22 refert, in illa re maxime se operam posuisse, ut ex diversissimis relationibus diversorum testium verum expromat, Sallustius simile aliquid, sed immodestius de se praedicat: „neque me divorsa pars in civilibus armis movit a vero." Quas similitudines omnes non temere nec casu exstitisse, sed ex imitatione Thucydidis prodiisse, equidem contenderim. Eadem Linkeri quoque est sententia p. 10: „Ceterum universum prorsus Historiarum initium ea re videtur Thucydideam similitudinem praebere, quod Sallustius priusquam ad ipsas res . . . . accederet, satis amplo ante prooemio qui factum sit exponendum putavit, ut ad eam potissimum condicionem res publica adduci potuerit, qualis illo anno obtinebat. Simul tamen complura Sallustium cum de Romanorum historicis in universum, tum de sui operis consilio atque indole praemonuisse, quod Thuc. non ita fecit, ex fragmentis adhuc servatis satis elucet (v. fr. 2—5)." Haec postrema, quae Linkerus protulit verba, recta quidem sunt, nec tamen ita intellegenda, quasi Thucydides de historicis Graecis vel potius de logographis, qui eum praecesserunt, nihil dixerit (cf. Thuc. 1,21); immo Linkeri sententia est, Thucydidem non aeque verbose de historicis scripsisse ac Sallustium.

Alius generis atque historiarum prooemia sunt Catilinae et Iugurthae. Ea enim prorsus non continent sententias generales, ut Kritzius in epistola critica p. XXII contendit, sed quasi excusationem, quod Sallustius aetate iam provecta, postquam a re publica gerenda se recepit, ad libros conscribendos se contulerit, sicuti Cicero quoque in libris philosophicis rhetoricisque saepius se excusat, quod otium suum consumpserit in libris componendis, cum id nobili Romano indignum putaretur. Ita Sallustius quoque in prooemiis Catilinae et Iugurthae eam maxime sententiam exsequitur, se non indignum esse historiam conscribere atque in studia incumbere. Cat. 1,3: „quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere." (cfr. Quint. 3,8,9). Cat. 2,2: „periculo atque negotiis compertum, in bello plurumum ingenium posse." Cat. 3,1: „pulchrum est bene facere rei publicae, etiam bene dicere haud absurdum est ... et qui fecere et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. ac mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere" . . . . Postquam enim Sallustius a negotiis publicis se removit, voluptatem se non habuisse dicit in agro colundo aut in venando, „servilibus officiis," sed (Cat. 4,2): „statuit res gestas populi Romani . . . . . perscribere." Similiterque in prooemio Iugurthae 2,2: „ingeni, inquit, egregia facinora sicuti anima immortalia sunt." Iug. 2,4: „pravitas eorum admiranda est, qui . . . . ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt" . . . . Iug. 4,1 sqq.: „Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum. cuius de virtute quia multi dixere, praetereundum puto, simul ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere." Elucet igitur, per tota prooemia excusationem a Sallustio saepius repeti, quod ad studia historiamque conscribendam se contulerit. Atque huic sententiae meae assentitur quoque Loebell: Zur Beurtheilung des C. Sallustius Crispus. Breslau 1818, p. 54: „Da, wo man in Sallusts berühmten Einleitungen die Anwendung der aufgestellten Grundsätze von der Ueberlegenheit des Geistes über den Körper auf die Geschichte erwartet, tritt vielmehr seine eigene Person auf, und die Ansicht von dem herrlichen und rühmlichen Thun eines Geschichtschreibers." — Praeterea invenies apud Sallustium indignationem de moribus Romanorum deperditis explicationemque, cur a re publica gerenda se receperit. Mores enim corruptos Romanorum saepius perstringit ad eamque materiam iterum atque iterum revertitur.

Quare quae Quint. 3, 8, 9 dicit, „Sallustium in bello Iugurthino et Catilinae nihil ad historiam pertinentibus principiis orsum esse" eumque hac in re Isocratem in Helenae laude et in Panegyrico Gorgiamque in Olympico secutum esse, ita certe rectissima sunt, ut prooemia Catilinae et Iugurthae simili modo quo Helenae laudis Panegyricique non in medias res rapiant lectorem, sed quodam modo longius a materia ducant. Alias similitudines maiores praeter sententias nonnullas similes non invenies.

Maxime commemoranda itemque in imitatione argumenti Thucydidei de rebus Graecorum antiquissimis Graeciaeque ante tempora historica statu posita est digressio Cat. 6—13, qua descriptio conditae rei publicae Romanae atque laus virtutum priscorum Romanorum continentur, cui laudi vitia posteriorum temporum opponuntur. Cuius descriptionis color valde est horridus eoque fit horridior, quod Sallustius a summa laude maiorum statim ad acerbissimam vituperationem suae aetatis transit c. 10—13, cui omnia vitia flagitiaque tribuit. Deinde ad Catilinam ipsum se vertit describitque eius facta, facinora, scelera. Hanc quidem morum perditorum descriptionem in loco non recto esse positam, contendere non possumus; nam cum de Catilinae sceleribus tractandum sit, aequum est demonstrare, quo modo mores corrupti paullatim in rem publicam irrepserint ad tantamque altitudinem sint provecti. Tamen haec descriptio exaequari non potest cum praeclara Thucydidis descriptione 3, 81—84, qua res nefandas Corcyrae factas morumque in Graecia condicionem ante oculos ponit. De digressione autem Sallustii in Catilina, qua principia rei publicae Romanae describuntur, Poppo in edit. Thuc. vol. I. p. 380 recte ita disserit: „Quid? quod ipsam illam degressionem de primis Romanorum rebus, Cat. cap. 6 sqq., quae, utcunque defensa a viris doctis, nobis nondum satis apta videtur, Thucydidis exordio originem debere suspiceris?“ Rectum est; eiusmodi enim digressio in opere minime magno tam mirabilis est, ut suspicari cogamur, Sallustium aliquo exemplo commotum digressionem illam libro suo inseruisse. Atque re vera ingenium, quo Thucydides vetustissima historiae Graecae principia tractat, criticum cautioque, qua ea in re utitur, non nobis modo admirationem iniciunt, sed Sallustium etiam commoverunt, ut principia historiae Romanae simili modo perquireret. Thucydides enim fabulas poetarum logographorumque, qui dicuntur, reicit ut vanas fictasque contenditque eos facta in maius celebravisse. Sed in ea quoque critica disiunctione factorum fabularumque cautissime agit atque quae invenit nullo loco ad certum redacta esse contendit. Nam in capitibus 1—23 libri I. saepius utitur formulis „*φαίνεται* (1, 2, 1. 1, 3, 1), *δοκεῖ δέ μοι* (1, 3, 2), *ὡς ἐμοὶ δοκεῖ* (1, 3, 4), *ἀκοῇ ἴσμεν*“ (1, 4, 1) aliisque

saepius. Quam cautionem Sallustius in describendis vetustissimis Romanorum rebus imitatur Cat. 6, 1: „sicuti ego accepi“. Cat. 8, 2: „sicuti ego aestumo“.

Omnes vero in libris Sallustii digressiones ad exemplar Thucydidis, qui saepius eas adhibet, esse expressas, nemo est qui contenderit. Quis enim historicus continue potest ordinem factorum narrare ita ut nunquam abstrahatur ad morum condicionem illustrandam, ad descriptiones geographicas aliasque res? Tamen digressiones apud Sallustium tam sunt crebrae, ut in legendo facere non possimus, quin recordemur digressiones Thucydidis. Gerlachii in edit. mai. ad Cat. 5 suspicio prolata, Sallustium in digressione de vetustissimo rei publicae Romanae statu „excerptis usum fuisse, quae Ateius Philologus in eius gratiam composuerat“, recta quidem esse potest. Sed eodem modo Sallustio ad alias quoque digressiones, ut ad Iug. c. 41. 42, ad prooemium historiarum omninoque ad libros suos conscribendos Ateii Philologi excerptis uti licuit. Porro ex translatione librorum Punicorum, quae de vetustissimo Libyae statu exponit, se hausisse, ipse dicit Sallustius Iug. 17: „uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est.“ Ex eodem fonte fortasse hausta est digressio de Philaenis, quam narrat Iug. 79. — Sallustius cur digressiones libris suis inseruerit, nullo loco explicat; contra Thucydides longum digressum, quem primo libro inseruit c. 88—118, eo consilio se fecisse dicit, ut suppleat hanc partem historiae, quae ad id temporis ab historicis praetermissa sit, atque ut simul demonstret, quo modo imperium Atheniensium paullatim confirmatum sit. Thuc. 1,97.

Alia magna digressio in historiis est descriptio Ponti 3,41 sqq. (Dietsch.), quae magis commonefacit Herodoti quam Thucydidis. Commodissima autem facultas Thucydidem imitandi Sallustio oblata est in describenda peste, quae in Mithridatis exercitu ad Cyzicum saeviit. Nam uberius de ea disseruisse Sallustium atque eodem ordine quo Lucretium, narrat Serv. ad Verg. Ge. 3,481. cfr. fragm. 3,28 apud Dietsch. Quamvis ex ea descriptione nihil nobis restet nisi Servii scholion perpaucaque fragmenta brevia, ex quibus nihil certius exploratiusque cognosci potest, tamen suspicari possumus, Sallustium praecipua cum diligentia eam materiam trac-

tasse, postquam Thucydides tam praeclara descriptione praecessit atque ad imitationem eum quodam modo incitavit. — Aliam quandam imitationem, qua Sallustius exemplum Thucydidis imitatus morti magnae alicuius personae quasi funebrem laudationem adiecerit, Seneca Suas. p. 35,11 sq. Burs. commemorat. Quibus addere possumus, omnino Sallustium consuesse, praeclarorum virorum mores describere, ut Catilinae (Cat. 5.), Catonis, Caesaris (Cat. 53.54), Pompeii (fragm. inc. 75 Dietsch). Equidem contenderim, praeclaris morum descriptionibus virorum magnorum apud Thucydidem, ut Periclis (Thuc. 2,65), Alcibiadis (Thuc. 6,15), Niciae (Thuc. 7,86) Sallustium esse commotum, ut ipse eodem modo mores describeret summorum virorum. Quod mihi maxime probatur eo, quod sententias nonnullas a Thucydide in describendis moribus maxime Periclis prolatas Sallustius in suum usum contulit.

Num epistolarum quoque, quas Sallustius libris suis inseruit, ut C. Manlii (Cat. 33), Catilinae (Cat. 35), Adherbalis (Iug. 24), Pompeii Mithridatisque ex historiis excerptarum epistola Niciae (Thuc. 7,11—15) sit exemplum, haud facile quis demonstraverit; quod potius in dubio relinquamus.

Maxime autem Sallustius aemulus Thucydidis nominandus est ob orationes libris suis intextas. Illud quidem certum est, sicut orationes operi Thucydidis insertas, ita Sallustii quoque praesertim ad tempora moresque hominum cognoscenda esse aptas. Tamen Sallustii orationibus vitio vertendum est, quod ornamenta sint rhetorica plus aequo et magis quidem quam adhuc a plerisque concessum est. Maximum autem huius rei argumentum est, quod orationes et epistolae ex Catilina, Iugurtha, historiis excerptae in scholis rhetorum legebantur.*)

Sallustius nullo loco de consuetudine orationum libris suis inserendarum loquitur, quod magnopere est dolendum. Tamen ex indole orationum itemque ex formulis iterum iterumque repetitis „huiuscemodi verba locutus est sive orationem habuit“ aut „in hunc modum dixit“ pro certo concludi potest, Sallustium orationes non ad verbum repetere voluisse, sed eo modo dicere,

*) cfr. Bernhardy hist. litt. Rom. p. 332 adnot. 227.

quo fere cuiusque ingenio maxime sit aptum. Thucydides de orationibus libro suo insertis ita disserit 1,22: „*Καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν· ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται.*“ Artius quam Thucydides Sallustius ad argumentum orationum in concionibus senatuque habitarum se non applicavit; immo fortasse multo minus ab argumentis orationum habitarum pendet. Qua re factum esse videtur, ut Trogus Pompeius in Sallustio reprehenderit, quod conciones directas et orationes operi suo inserendo historiae modum excesserit. (cfr. Iustin. 38, 3). In Thucydide vero nemo reprehendit, quod modum historiae excesserit, quamvis orationes operi suo insertae non minorem partem expleant.

De forma orationum et Sallustii et Thucydidis statuendum est, antiquitatem usque eo artis historicae non processisse, ut eam ingenio indolique cuiusque dicentium adaptaret. Quin Sallustius orationes iisdem ornat figuris rhetoricis, quae tunc erant usitatissimae, figuras sententiasque ex orationibus Thucydidis Demosthenis aliorumque mutuatur. Gerlachius in edit. Sallustii mai. vol. II p. 209 rhetoricum orationum Sallustii colorem his verbis excusat: „Neque in Salustii consilio explicando omittendum est, quod recte dixeris, ea tempestate omni paucorum hominum opera et studio gesta esse. Quaecunque enim aut ad evertendam, aut ad servandam rem publicam inita sunt consilia, ea paucorum hominum fuerunt, qui aut virtute, aut per vim et factionem cuncta regebant; ceteri gratia vel praemiis libertatem venalem habuerunt. Quae cum illorum temporum fuerit ratio, iure suo hoc scribendi genere usus est Salustius“. Equidem in dubio relinquam, utrum iure Sallustius hoc scribendi genere usus sit necne; illud modo demonstrare studebo, totum eius genus dicendi, praecipue in orationibus, rhetoricum esse eumque hac in re quoque multa ex Graecis transtulisse.

II.

Quas sententias locosque Sallustius ex Graecis scriptoribus transtulerit quatenusque in rhetorico genere dicendi ad Thucydidem se applicaverit, quaeritur.

Quamvis nemo fere scriptor Romanus tantopere sit tractatus quam Sallustius, tamen editores de imitationibus Thucydidis aliorumque scriptorum Graecorum atque de constructionibus Graecis uberius continueque non disseruerunt, sed notis dispersis pauca tetigerunt. Accedit quod multum usque ad nostra tempora fabulati sunt de rhetorica Thucydidis imitatione neque adhuc quisquam diligentius et accuratius quaesivit, quidnam esset rhetoricum illud, quod Sallustius ex Thucydide sumpsisset.

Iure iam Cortius in ed. Sall. praef. p. XIII sq. docet, maxime in orationibus elocutionem Sallustii propriam inveniri, non modo quod Sallustii genus dicendi optime demonstrent, sed etiam quod purissimae atque mendis scribarum minime corruptae nobis servatae sint: „Pro certo affirmare possumus, qui genium Sallustii, emendatissimum genus dicendi, praegnantem brevitatem propius nosse cupit, illum prius Orationes illas, quam integra duo Crispi opera legere debere. Hae enim cum non toties librariis obnoxiae fuerint, quam Catilina et Iugurtha, non tam foede corruptae per Pomponium*) ad nos pervenerunt. Hunc tamen, credo, magis, quod non intelligeret omnia, fideliter lectiones exemplaris sui repraesentasse, quam quod consilio praeclare ita meruisset: contra in reliquis male feriati homines intelligendo fecerunt, ut nihil intelligerent, et nos posteri infinito labore sordes illas eluere debeamus“. His Cortii verbis plane assentior ideoque in grammaticis rhetoricisque rebus perquirendis maxime orationum nonnullarumque digressionum praecipuarum, ut prooemiorum descriptionumque morum rationem habebo simulque quas figuras sententiasque ex Graecis scriptoribus Sallustius hauserit quaeram.*)

*) Pomponius Laetus primam Sallustii cum fragmentis ex codice Vaticano curavit editionem. Venetiae 1493.

Auctoritas rhetorices in Sallustio maxima est habenda; nam omnino rhetorum Graecorum scholae illis temporibus florebant. De temporum illorum studiis rhetoricis Bernhardy hist. litt. Rom. p. 233 hoc modo disserit: „Mehr als alle Theorie hat der Verkehr mit den Griechischen Rhetoren auf den Stil eingewirkt; auch empfing die vornehme Jugend im Lauf ihrer gelehrten Reisen eine propädeutische Kenntniss von den Grundsätzen der Rhetorik und des Vortrags, wenn sie die Rhetorschulen in Asien oder auf den Inseln besuchte“, ac deinde in adnot. 159: „Der Einfluss Griechischer Rhetorik auf den Lateinischen Stil tritt zuerst in diesem Zeitpunkt hervor, wo Männer wie Sisenna Hortensius Varro dem genus Asianum folgten“.

In genere dicendi atque in sententiis ex Graeco translatis illud maxime Sallustius spectat, ut brevitatem quandam assequatur. In eo enim Sallustius studium ponit non ut quam paucissimis verbis quam plurima, sed ut quam paucissimis verbis quam verissima dicat, ut ipse profitetur Cat. 4,3 et 18,1: „quam verissume potero paucis absolvam“. Verum se dicere velle etiam Thucydides profitetur, tamen non addit, illud paucissimis se facere Thuc. 1,22,3: ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν . . . . ἀρκούντως ἕξει“. De Sallustii vero brevitate in dicendo non idem mihi videtur esse concedendum quod Cicero de or. 2, 13, 56 de Thucydide praedicat: „ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero con-

*) Hoc loco commemorandum mihi esse videtur, magnam partem locorum ex Graecis scriptoribus conversorum ab editoribus iam esse comprehensam. Ut indicem, qui singulas imitationes primus invenerit, nemo est qui flagitet. Nonnullas tamen imitationes qui primus invenerit, commemorare necessarium videbatur.

sequatur, ita porro verbis est aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur.“*)

Ut sequentibus paginis uberius exsequi studebo, Sallustius in singulis partibus librorum suorum atque in orationibus ita utitur nonnullis partibus orationibusque operis Thucydidei, ut sententia mea eo magis confirmetur, eum ab exemplo Thucydidis ipso in consilio operis pendere. Nam singulas quoque sententias formulasque rhetoricas Thucydidis aliorumque scriptorum Graecorum in suum usum convertit. Itaque, quod in priori capite iam diximus, in prooemio Catilinae (c. 1—4) atque in digressione de veterrimo rei publicae Romanae statu (c. 5—9) praecipue usus est prooemio operis Thucydidei (1, 1—23) itemque in describendis moribus labentibus descriptione morum Graeciae deperditorum apud Thuc. 3, 81—84.

Priusquam ad translationes ex Graecis factas transeamus iterum commonendum videtur, sicuti iam in superiori capite exposui, Sallustium in Catilinae Jugurthaeque prooemiis illud maxime spectare, ut ob libros scribendos se excuset. Perspicuum est, hoc fieri non potuisse ita, ut sententias generales aliquot non admisceret, quarum pars ex Graecis scriptoribus ad verbum fere est translata, pars tantam habet cum sententiis Graecorum similitudinem, ut suspicari debeamus, Sallustium adulescentem summa cum diligentia in litteras Graecas incubuisse sententiasque praeclaras memoriae infixisse atque in libris suis conscribendis adhibuisse.

Si Sallustius in prooemio libri de coniuratione Catilinae inscripti generales nonnullas sententias de humanae naturae iudole eiusque pravitate, de condicione, qua ipse ad historiam conscribendam impulsus sit, protulisset, nihil in ea re miri esset. Sed quod nihil ad historiam pertinentibus principiis (cfr. Quint. 3, 8, 9) orsus sit altiusque repetat quam in opere tam parvi argumenti exspectamus, illud miror. Ac quamvis coniuratio Catilinaria longe aliam materiam quam bellum Peloponnesiacum praebeat, tamen pro certo habeo, Sallustio in novem capitibus primis prooemium Thucydidis in mente fuisse. Quid enim sibi volunt verba statim in principio (Cat. 2,1): „initio reges — nam in terris nomen imperi id primum fuit — divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant“? Atque Sallustio hoc loco Graecorum res in mente fuisse Thucydidemque et Graecorum historicos ante oculos esse versatos, ex eo elucet, quod in iis, quae sequuntur, non Romanae rei publicae principia exponere incipit, sed Cyrum, de quo etiam Thuc. 1,13,16 agit, Lacedaemonios Athenienses commemorat; Cat. 2,2: „postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere“ etc. An Sallustius in prooemio historico belli Catilinarii Persarum regem Cyrum commemorasset, nisi aptissimum historiae belli Peloponnesiaci prooemium operis Thucydidei secutus esset ut exemplum?*) Porro imperium regium antiquissimam esse rei publicae formam („nam in terris nomen imperi id primum fuit“ Cat. 2,1), etiam Thucydides dicit in prooemio 1, 13, 1: „*τὰ πολλὰ τυραννίδες ἐν ταῖς πόλεσι καθίσταντο, πρότερον δὲ ἦσαν . . . . . πατρικαὶ βασιλεῖαι.*“

Cat. 8 Sallustius loquitur de factis Atheniensium iisque, qui ea scripserunt, de scriptorum magnis ingeniis, quae in Graecia provenere. Haud dubie Thucydidem in mente habet, quem statim in quatuordecim capitibus primis saepius exscribit. Equidem mihi persuadere non possum, his verbis Sallustium Thucydidem bellumque

---

*) cf. Gerlach. de proprietate serm. Sal. in edit. Sall. vol. III. p. 321.

*) Aliam mutuationem historicam invenimus in fragm. inc. 8 apud Dietsch. (1,78 Kr.). Servius enim ad Verg. Aen. 8,725 ita scribit: „Carae insulani populi fuerunt piratica famosi victi a Minoë, ut et Thucydides et Sallustius dicunt.“ Unde Sallustium eam notitiam hausisse conieceris, nisi ex Graeco fonte? atque quae tandem in studia historica Sallustius incubuit, ut suspicari cogamur, eum de Caris et de Minoë sententiam alio ex scriptore Graeco assumpsisse atque ex prooemio Thucydidis 1,4: „*Μίνως . . . οἰκιστὴς πρῶτος τῶν πλείστων νήσων ἐγένετο, Κᾶρας ἐξελάσας καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας· τό τε ληστικόν, ὡς εἰκός, καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης.*“ Prooemium enim operis Thucydidei Sallustio rerum historicarum tam acrem videbatur continere inquisitionem atque investigationem, ut omnia in eo exposita verissima haberet atque quatenus ad ipsius libros conscribendos utilia putabat, in usum suum conferret.

Peloponnesiacum non significasse. Etiam materiae, quam sibi tractandam proposuit, gravitatem Sallustius praedicat Cat. 4,4: „nam id facinus (Catilinae coniuratio) in primis ego memorabile existumo sceleris atque periculi novitate“ similiter ac Thucydides 1,1: *„ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι (τὸν πόλεμον) καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων“* etc.

Praeterea Sallustius in primis Catilinae capitibus praecipue ex oratione funebri Periclis, sed ex aliis quoque operis Thucydidei partibus scriptoribusque Graecis transtulit tales maxime locos, quos rhetoricos sententiososque appellemus. Maxime autem memorabilis atque indubitata translatio est totius ex oratione funebri comprehensionis, quae Sallustio simili modo captationi benevolentiae esset atque Pericli.

Cat. 3,2: „mihi ... in primis arduum videtur res gestas scribere; primum quod facta dictis exaequanda sunt, dehinc quia plerique quae delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit.“	Thuc. 2,35,2: *χαλεπὸν γὰρ τὸ μετρίως εἰπεῖν .... ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ᾽ ἄν τι ἐνδεεστέρως πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται νομίσειε δηλοῦσθαι, ὅ τε ἄπειρος ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι διὰ φθόνον, εἴ τι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκούοι. μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι ὧν ἤκουσεν· τῷ δ᾽ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν.* *)

Simul eidem comprehensioni, quam ex Thucydide translatum esse omnes editores consentiunt, Sallustius immiscet sententiam celebrem atque etiam ab Isocrate in Panegyrico § 13 usurpatam: *„ὡς χαλεπόν ἐστιν ἴσους τοὺς λόγους τῷ μεγέθει τῶν ἔργων ἐξευρεῖν,“* qua-

*) Simul hoc loco Gellii annotatio comprobatur, qui vocabulum „arduum“ contra malevolos Sallustii reprehensores defendit N. A. 4,15: „arduum Sallustius non pro difficili tantum, sed pro eo quoque ponit, quod Graeci *δυσχερὲς* aut *χαλεπὸν* appellant, quod est tum difficile tum molestum quoque et incommodum et intractabile.“

rum sententiarum similitudinem non fortuitam esse censeo, praesertim cum iam Quint. 3,8,9 Sallustii prooemia cum Isocratis Panegyrico comparet.

Maxime rhetoricus atque speciei verborum relatorum contrarie, quae a Thucydide quoque saepissime adhibentur, annumerandus hic est locus Cat. 6,5: „magisque dandis quam accipiundis beneficiis amicitias parabant,“ quae sententia in oratione funebri Thuc. 2,40,4 ita legitur: *„οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους,“* eiusdemque generis rhetorici haec sunt Cat. 9,1: „ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat,“ quae congruunt cum loco orationis funebris apud Thuc. 2, 37, 3: *„οὐ παρανομοῦμεν .... ἀκροάσει καὶ τῶν νόμων, καὶ μάλιστα αὐτῶν ὅσοι τε ἐπ᾽ ὠφελίᾳ τῶν ἀδικουμένων κεῖνται καὶ ὅσοι ἄγραφοι ὄντες αἰσχύνην ὁμολογουμένην φέρουσιν.“* *) Aliam sententiam ex oratione funebri ita transtulit Sallustius, ut figura verborum contrarie relatorum, quam Thucydides hoc loco non adhibuit, existeret, Cat. 6, 6: „imperium legitumum, nomen imperi regium habebant.“ Periclis de re publica Atheniensium sententia apud Thuc. 2, 37, 1 haec est: *„καὶ ὄνομα μὲν διὰ τὸ μὴ ἐς ὀλίγους ἀλλ᾽ ἐς πλείονας οἰκεῖν δημοκρατία κέκληται.“* Quam sententiae formam magis vocabis rhetoricam? certe Sallustii. Nihilque aliud quam formula rhetorica haec sunt apertissime translata Cat. 9, 4: „quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod“ .... ex Thuc. 1, 2, 3: *„καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιστόν ἐστι διὰ τὰς* .... aut ex Thuc. 1, 3, 1 formata: *„δηλοῖ δέ μοι καὶ τόδε τῶν παλαιῶν ἀσθένειαν οὐχ ἥκιστα.“*

Praeter Thucydidem Sallustius maxime Demosthenem imitatur et in singulis sententiis enunciatisque et in figuris rhetoricis. Propter argumentum simulque propter figuram rhetoricam enunciatum Cat. 9, 2: „in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant summam habet similitudinem cum loco apud Dem.

*) Comprobatur hoc loco quod Kritzius ad Cat. 9,1 ad definiendum „bonum“ dicit: „Haec Cortius recte videtur ita interpretari, ut ius sit id, quod verum, rectum et aequum est, bonum quod rei publicae utile,“ i. e. *ἐπ᾽ ὠφελίᾳ τῶν ἀδικουμένων.*

Olynth. 3 § 26: „*οὐ γὰρ εἰς περιουσίαν ἐπράττετο αὐτοῖς τὰ τῆς πόλεως, ἀλλὰ τὸ κοινὸν αὔξειν ἕκαστος ᾤετο δεῖν. ἐκ δὲ τοῦ τὰ μὲν Ἑλληνικὰ πιστῶς, τὰ δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς, τὰ δ' ἐν αὐτοῖς ἴσως διοικεῖν μεγάλην εἰκότως ἐκτήσαντο εὐδαιμονίαν.**)

Porro non dubito notam illam sententiam Cat. 2,7: „Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent“ ob similitudinem argumenti et ob rationem miram, qua ambo enunciata verbis exprimuntur, ex Homero Il. 23, 315—318 esse haustam suspicari:

„*μήτι τοι δρυτόμος μέγ' ἀμείνων ἠὲ βίηφιν.*
μήτι δ' αὖτε κυβερνήτης ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ
νῆα θοὴν ἰθύνει ἐρεχθομένην ἀνέμοισιν·
μήτι δ' ἡνίοχος περιγίγνεται ἡνιόχοιο.“

Ad haec Nauckius: das Vorwort von Sallust's Catilina. Koenigsberg i. d. N.-M. 1850. p. 13 ita disserit: „Der gleiche Gedanke findet sich in ganz ähnlicher Weise schon bei Homer ausgesprochen: „Consilio, qui ligna caedit, longe superior, quam viribus; c o n s i l i o gubernator nigricanti in ponto navem celerem dirigit quassantibus ventis; c o n s i l i o auriga antecedit aurigae.“ Cum Homerum a Romanis quoque permultum tractatum esse sciamus (cfr. Quint. 1, 8, 5) atque figura repetitionis Sallustium haud dubie allexerit, certe in errorem non incidemus coniciendo, Sallustium Homeri sententiam in suum usum contulisse. Tamen pro figura repetitionis *ἀσύνδετον* sive dissolutum adhibet.**)

Sententiis iam allatis locos aliquos communes addamus, qui quatenus ex scriptoribus Graecis expressi sint, in dubio relinquamus. Ita hominum ignavorum, inertium hebetum statim in prima Catilinae comprehensione com-

*) Ad totum Catilinae cap. IX. conferas Dem. Olynth 3 §§ 25.26.

**) Praeterea in simili verborum exitu aliquid antiquum inest. Antiquissimus enim sermo Romanus, cum pondus alicui rei inferendum esset, usum late patentem habuit, ut verba similiter incipientia similiterque cadentia adhiberet, quae nos vocamus „Alliteration.“ Qui usus usque ad posteriora tempora patet atque apud Sallustium Liviumque invenitur. Huc referenda sunt verba „facinus facere“ Cat. 7,6, quibus Ennius quoque in annalibus utitur (Gell. 12,4,4). Noster locus Cat. 2,7: „quae homines arant, navigant, aedificant“ nihil aliud est quam species huius generis. Tantopere Sallustius scivit translatam ex Graeco sententiam antiquitatis fuco afficere.

paratio cum pecoribus, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit, ut Finckhius in Fleckeiseni Annall. class. Philol. vol. 79. a. 1859 p. 864 monet, magnam habet similitudinem cum eadem comparatione apud Plat. Rep. IX. p. 586a: „*βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες καὶ κεκυφότες εἰς γῆν καὶ τραπέζας βόσκονται χορταζόμενοι καὶ ὀχεύοντες.*“ Sententia Cat. 1,6: „nam et prius quam incipias consulto et ubi consulueris mature facto opus est“ a compluribus scriptoribus Graecis expressa est. Sed tamen ea vulgatior, quam ut non potuisset quicunque alius scriptor in eam incidere. cfr. Gerlach. ad nostrum locum et Poppo in edit. Thuc. vol. I. p. 379.

Deinde in describendis moribus Catilinae Cat. 5,4 Sallustius in Catilina idem eodem fere modo vituperat („satis eloquentiae, sapientiae parum“) quo Aeschines in Demosthene in oratione in Ctesiph. § 174: „*περὶ δ' εὐγνωμοσύνην καὶ λόγου δύναμιν πῶς πέφυκε; δεινῶς λέγειν, κακῶς βιῶναι.*“*) Non contendo, Sallustium Aeschinis locum ante oculos habuisse; sed similitudo locorum Sallustianorum maxime cum sententiis oratorum Atticorum demonstrat, Sallustii genus dicendi plane rhetoricum esse nominandum. Sallustius in oratorum studium diligentissime incubuit atque ut ex eo studio elocutio figuraeque eius formatae sint, necessario efficitur. Enunciatum Cat. 7,2: „regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque eis aliena virtus formidulosa est“ in Romano usitatius est quam ut translatio ex Graeco scriptore dici possit.**) Locus communis est Cat. 8,1:

*) Probi apud Gell. 1,15,7 coniectura, pro „eloquentia“ scribendam esse „loquentiam“, quod eloquentia cum insipientia minime conveniret, ex rhetoricarum minutiarum studio prodiit. Certe Probus meminerat verborum Antonii apud Cic. or. § 18: „d i s e r t o s se vidisse multos, sed neminem, qui recte appellari e l o q u e n s posset,“ aut sententiae a Cicerone in libris rhetoricis compluries prolatae, oratoris mores quam perfectissimos esse debere. Verum alio loco de or. 1,94 M. Antonius eum statuit „eloquentem, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare quae vellet omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret.“ Atque quis dubitabit hanc virtutem summam ascribere Catilinae eloquentiamque ei tribuere, cum orationem ad coniuratos habitam legerit?

**) Similes sententias ex Graecis conferas apud Gerlach. ad nostrum locum.

„Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque.“ Simillimus locus invenitur apud Dem. Olynth. 2 § 22: *„μεγάλη γὰρ ῥοπή, μᾶλλον δὲ ὅλον ἡ τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα.“* Westermannus in ed. orationum Demosthenis selectarum nostrum quoque locum praetereaque alios nonnullos ex Graecis Latinisque scriptoribus locos affert.

Descriptionem, quae sequitur Cat. 10—13, morum civitatis Romanae iam comparavi cum descriptione morum deperditorum belli Peloponnesiaci temporibus apud Thuc. 3,82.83 nec sine veritatis specie dici puto, Sallustium in ea descriptione exemplum Thucydidis esse secutum. Paucas modo similitudines demonstrabo. Cat. 10,4: „avaritia . . . . deos neglegere edocuit“ congruit cum loco Thucydidis 3,82,9: *„ὥστε εὐσεβείᾳ μὲν οὐδέτεροι ἐνόμιζον.“* Sallustius porro nominat avaritiam (10,4) et ambitionem (10,5) gravissima labentium morum vitia. Eodem modo Thuc. 3,82,8: *„πάντων δ' αὐτῶν αἴτιον ἀρχὴ ἡ διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλοτιμίαν.“* Sententia Sallustii Cat. 10,5: „amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo aestumare“ congruit cum Thuc. 3,82,5: *„καὶ μὴν καὶ τὸ ξυγγενὲς τοῦ ἑταιρικοῦ ἀλλοτριώτερον ἐγένετο . . . . οὐ γὰρ μετὰ τῶν κειμένων νόμων ὠφελίας αἱ τοιαῦται ξύνοδοι, ἀλλὰ παρὰ τοὺς καθεστῶτας πλεονεξίᾳ.“* Cat. 12,1: „paupertas probro haberi coepit“ contrarie dictum est apud Thuc. 2,40,1: (apud Athenienses) *„τὸ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινι αἰσχρόν.“* Cat. 12,2: „divina et humana promiscua . . . habere“ similiter dicta sunt apud Thuc. 2,52,2 in describenda peste: *„ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως.“*

Praeter has translationes invenimus locos communes atque sententiosos quosdam ideoque eo magis rhetoricos, velut Cat. 10,5: „aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere,“ quibuscum interpretes conferunt Hom. Il. 9,313: *„ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ“* et Eurip. Androm. 452: *„οὐ λέγοντες ἄλλα μὲν γλώσσῃ, φρονοῦντες δ' ἄλλα,“* Maximam similitudinem cum loco Cat. 12,2: „sua parvi pendere, aliena cupere“ habent verba Isocratis Areop. § 24: *„τῶν μὲν οἰκείων ἀμελεῖν, τοῖς δ' ἀλλοτρίοις ἐπιβουλεύειν.“*

(cfr. hist. 1,12 Dietsch. Cat. 5,4). Huius postremi loci similitudinem Finckhius demonstravit in Fleckeiseni Annall. vol. 79 p. 864 itemque locorum, qui sequuntur. Cat. 13,3: „viri muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causa terra marique omnia exquirere, dormire priusquam somni cupido esset, non famem aut sitim neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere,“ comparantur a Finckhio cum loco Xenophonteo Mem. 2,1,30: *„ἥτις οὐδὲ τὴν τῶν ἡδέων ἐπιθυμίαν ἀναμένεις, ἀλλὰ πρὶν ἐπιθυμῆσαι πάντων ἐμπίμπλασαι, πρὶν μὲν πεινῆν ἐσθίουσα, πρὶν δὲ διψῆν πίνουσα, ἵνα μὲν ἡδέως φάγῃς, ὀψοποιοὺς μηχανωμένη, ἵνα δὲ ἡδέως πίνῃς, οἴνους τε πολυτελεῖς παρασκευάζει καὶ τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς, ἵνα δὲ καθυπνώσῃς ἡδέως, οὐ μόνον τὰς στρωμνὰς μαλακάς, ἀλλὰ καὶ τὰς κλίνας καὶ τὰ ὑπόβαθρα ταῖς κλίναις παρασκευάζει. οὐ γὰρ διὰ τὸ πονεῖν, ἀλλὰ διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν ὅ τι ποιῇς ὕπνου ἐπιθυμεῖς. τὰ δὲ ἀφροδίσια πρὸ τοῦ δεῖσθαι ἀναγκάζεις, πάντα μηχανωμένη καὶ γυναιξὶ τοῖς ἀνδράσι χρωμένη.“* Sed fueritne hic locus Sallustiani enunciati exemplum necne, in dubio relinquamus. Qui iam sequitur locus, ut Finckhius docet, certe haustus est ex Theopompo. Cat. 14,2—4: „nam quicumque impudicus adulter ganeo ..... postremo omnes quos flagitium egestas conscius animus exagitabat, ei Catilinae proxumi familiaresque erant. quodsi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, cotidiano usu atque inlecebris facile par similisque ceteris efficiebatur.“ Theopompi in Philippicis locus apud Athen. 4,62 hic est: *„εἴ τις ἦν ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἢ τοῖς βαρβάροις λάσταυρος ἢ βδελυρὸς ἢ θρασὺς τὸν τρόπον, οὗτοι σχεδὸν ἅπαντες εἰς Μακεδονίαν ἀθροισθέντες ἑταῖροι Φιλίππου προσηγορεύοντο. εἰ δὲ μὴ καὶ τοιοῦτός τις ἐληλύθει, ὑπὸ τοῦ βίου καὶ τῆς διαίτης τῆς Μακεδονικῆς ταχέως ἐκείνοις ὅμοιος ἐγίνετο.“*

Sallustium in prima Catilinae digressione etiam ex oratione funebri nonnulla hausisse praeter alios nonnullos locos iam allatos maxime probatur hac translatione Cat. 10,1: „cuncta maria terraeque patebant“ ex Thuc. 2,41,2: *„ἀλλὰ πᾶσαν μὲν θάλασσαν καὶ γῆν ἐσβατὸν τῇ ἡμετέρᾳ τόλμῃ καταναγκάσαντες γενέσθαι“.*

Omnes quas attuli ex Graecis scriptoribus translationes plane rhetoricae sunt vocandae. Quamvis enim in prima Catilinae digressione Sallustium ad prooemium operis Thucydidei se applicuisse satis dilucidum sit, tamen qui ex eo translati sunt loci non sunt tam frequentes tamque perspicui quam sententiae ex oratione funebri Periclis desumptae. Plane id rhetoricum puto, ex orationibus, non ex historia haurire. Ac reliquae ex Graecis scriptoribus translationes cuius modi tandem sunt? Nonne plurimorum, quibus Sallustius maxime usus est, scriptorum genus dicendi rhetoricum vocandum est? Theopompum enim veteres docent superfluenti orationis sono fuisse. Itemque in eo vituperatur acerba hominum factorumque censura reprehendendique studium, quod idem de Sallustio dici potest. Atque Quintilianus 10,1,74: „Theopompus, inquit, his (Herodoto et Thucydidi) proximus, ut in historia minor, ita oratori magis similis.“ De Sallustio comparandum est iudicium supra ex Liciniano p. 42 sq. ed. Bonn. allatum: „Sallustium non ut historicum sed ut oratorem esse legendum.“ Ut Cic. Brut. 17,66 Theopompo elationem atque altitudinem orationis tribuit, ut de or. 2,13,57 Theopompum ab rhetore Isocrate magistro impulsum se ad historiam contulisse dicit, ut de or. 3,9,36 Theopompum exsultantem verborum audacia vocat, ita omnia haec simili modo de Sallustio dici possunt. Sallustius enim ab eruditione rhetorica temporum suorum non erat vacuus, cuius rei libri eius optima sunt testimonia. Quodsi iam alios Sallustii in principio Catilinae auctores contemplamur, in iis invenimus praecipue Demosthenem et Isocratem. Illius prioris Sallustius inprimis, ut operi historico convenit, orationes civiles, quae ad rem publicam eiusque administrationem pertinent, imitatus esse videtur. Praeter hanc imitationem partium Thucydidis rhetoricarum (atque maxime trium librorum primorum), Theopompi genere oratorio scribentis, Demosthenis oratoris Isocratisque rhetoris Sallustius apertissime aliis quoque scriptoribus, praecipue philosophis usus est. Ex iis quos attulimus locis conicere fere cogimur, Sallustium sententiosos locos ex scriptoribus, quos legerit, excerpsisse librisque suis immiscuisse. Simili enim modo iam Ateio Philologo mandaverat, ut sibi excerpta ex historia Ro-

mana componeret. Ut nostris quoque temporibus in scholis discipuli dicta collectanea ex scriptoribus lectis congerunt eaque in scriptis, quae componunt, adhibere student, atque ut eos praecipue scriptores excerpunt, qui maxime cuiusque ingenio sunt accomodati, eosque locos memoriae mandant, quibus maxime commoventur, ita etiam Sallustius adulescens oratores Graecos rhetoricasque Thucydidis partes aliorumque scriptorum, quatenus rhetorice fieri potuit, excerpsisse videtur.

Sed iam transeamus ad caput quaestionis nostrae, ad perquirendas orationes, quas Sallustius libris suis inseruit, et videamus, quatenus hae operum partes, quibus maxime studia rhetorica potuit ante oculos ponere, a Graecis scriptoribus pendeant. Ac perspiciamus orationes praecipuas primum Catilinae, deinde Iurgurthae, postremo ex historiis excerptas.

Iam oratio Catilinae aqud coniuratos habita Cat. 20 excellit presso quodam atque abrupto dicendi genere ac forma omnino rhetorica, qua Sallustius vim omnem Catilinae atque impetum reddere studuit. Huius generis orationis Sallustius apud Thucydidem exemplum non habuit. Praecisum abruptumque genus dicendi omnino ingenio hominis turbulenti temporibus rei publicae Romanae postremis aptum est. Quatenus omnino in opere historico licet, Sallustius figuris rhetoricis utitur verbisque contrarie oppositis. Totius enim orationis argumentum versatur in describendo statu exhaustorum et ad inopiam redactorum popularium atque divitum optimatiumque. Itaque iam hac re efficitur, ut per totam orationem quasi quoddam contrarium pateat. Catilina quidem novit profusam optimatium luxuriam; brevibus efficacibusque verbis figurisque eam describit. Neque abhorret a Graecis verbis, vel potius ea eligit de industria, ut specie quadam harum rerum aversationis quodam modo virtutem priscorum Romanorum prae se ferat § 12: „cum tabulas signa toreumata emunt, ... tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt“. § 7: „postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit semper illis reges tetrarchae vectigales esse, populi nationes stipendia pendere“.

Principium orationis § 2: „neque ego . . . . incerta pro certis captarem“, similitudinem quandam habet cum

mana componeret. Ut nostris quoque temporibus in scholis discipuli dicta collectanea ex scriptoribus lectis congerunt eaque in scriptis, quae componunt, adhibere student, atque ut eos praecipue scriptores excerpunt, qui maxime cuiusque ingenio sunt accomodati, eosque locos memoriae mandant, quibus maxime commoventur, ita etiam Sallustius adulescens oratores Graecos rhetoricasque Thucydidis partes aliorumque scriptorum, quatenus rhetorice fieri potuit, excerpsisse videtur.

Sed iam transeamus ad caput quaestionis nostrae, ad perquirendas orationes, quas Sallustius libris suis inseruit, et videamus, quatenus hae operum partes, quibus maxime studia rhetorica potuit ante oculos ponere, a Graecis scriptoribus pendeant. Ac perspiciamus orationes praecipuas primum Catilinae, deinde Iurgurthae, postremo ex historiis excerptas.

Iam oratio Catilinae aqud coniuratos habita Cat. 20 excellit presso quodam atque abrupto dicendi genere ac forma omnino rhetorica, qua Sallustius vim omnem Catilinae atque impetum reddere studuit. Huius generis orationis Sallustius apud Thucydidem exemplum non habuit. Praecisum abruptumque genus dicendi omnino ingenio hominis turbulenti temporibus rei publicae Romanae postremis aptum est. Quatenus omnino in opere historico licet, Sallustius figuris rhetoricis utitur verbisque contrarie oppositis. Totius enim orationis argumentum versatur in describendo statu exhaustorum et ad inopiam redactorum popularium atque divitum optimatiumque. Itaque iam hac re efficitur, ut per totam orationem quasi quoddam contrarium pateat. Catilina quidem novit profusam optimatium luxuriam; brevibus efficacibusque verbis figurisque eam describit. Neque abhorret a Graecis verbis, vel potius ea eligit de industria, ut specie quadam harum rerum aversationis quodam modo virtutem priscorum Romanorum prae se ferat § 12: „cum tabulas signa toreumata emunt, ... tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt“. § 7: „postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit semper illis reges tetrarchae vectigales esse, populi nationes stipendia pendere“.

Principium orationis § 2: „neque ego . . . . incerta pro certis captarem“, similitudinem quandam habet cum

tissima est. Accedit quod condiciones Mytilenaeorum coniuratorumque tam similes sunt inter se, ut Sallustius occasionem non praetermittendam esse putaret, ut exemplum Thucydidis (in orationibus Cleonis et Diodoti) secutus in controversia excelleret, inducendo duos viros, Caesarem Catonemque, de eadem re disputantes, sed contra dicentes.

Per totam Caesaris orationem idem sententiarum ordo eademque dispositio inveniri licet atque in oratione Diodoti. Diodotus enim orationem incipit hac sententia, de rebus gravissimis accurate esse consultandum; haec duo, celeritatem et iram, bonae consultationi maxime contrarias esse ob eamque rem vitandas. Non sententiam modo, sed verba etiam principii orationis a Caesare habitae ex oratione Diodoti translata esse puto. Caesar enim orationem sic incipit: „Omnis homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio amicitia ira atque misericordia vacuos esse decet“ . . . . . § 4: „Magna mihi copia est memorandi, quae reges atque populi ira aut misericordia inpulsi male consuluerint“, Diodotique orationis apud Thuc. 3, 42, 1 principium hoc est: „νομίζω δὲ δύο τὰ ἐναντιώτατα εὐβουλίᾳ εἶναι, τάχος τε καὶ ὀργήν.“ Quod vulgare apud oratores esse principium libenter concedam, velut Dem. περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ in.: „Ἔδει μέν, τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα μήτε πρὸς χάριν. . . . ἐπειδὴ δ’ ἔνιοι τὰ μὲν φιλονεικίᾳ, τὰ δ’ ἡτινιδήποτ’ αἰτίᾳ προάγονται λέγειν“ . . . .; tamen cum Sallustius in oratione Caesaris aliis multis in rebus Diodoti orationem sequatur, non dubium esse puto, quin haec quoque sententia ex eodem fonte sit hausta. — Deinde Diodotus uberius disserit de utilitate orationis, ut statui causae convenerat; orationem magistram esse factorum (διδάσκαλος τῶν πραγμάτων 3,42,2). Sed huius rei Diodoto propria erat causa. Nam de puniendis Mytilenaeis iterum iam consultum est itaque Diodoto contra vituperatores concionandi praeterea erat disputandum. Quod Sallustius non eodem modo Caesarem loquentem inducit de utilitate orationis, maxime est probandum; nam de interficiendis coniuratis primum est actum, neque quisquam affuit, qui utilitatem orationis impugnaret. — Tum Diodotus (Thuc. 3, 43) ad

mana componeret. Ut nostris quoque temporibus in scholis discipuli dicta collectanea ex scriptoribus lectis congerunt eaque in scriptis, quae componunt, adhibere student, atque ut eos praecipue scriptores excerpunt, qui maxime cuiusque ingenio sunt accomodati, eosque locos memoriae mandant, quibus maxime commoventur, ita etiam Sallustius adulescens oratores Graecos rhetoricasque Thucydidis partes aliorumque scriptorum, quatenus rhetorice fieri potuit, excerpsisse videtur.

Sed iam transeamus ad caput quaestionis nostrae, ad perquirendas orationes, quas Sallustius libris suis inseruit, et videamus, quatenus hae operum partes, quibus maxime studia rhetorica potuit ante oculos ponere, a Graecis scriptoribus pendeant. Ac perspiciamus orationes praecipuas primum Catilinae, deinde Iurgurthae, postremo ex historiis excerptas.

Iam oratio Catilinae aqud coniuratos habita Cat. 20 excellit presso quodam atque abrupto dicendi genere ac forma omnino rhetorica, qua Sallustius vim omnem Catilinae atque impetum reddere studuit. Huius generis orationis Sallustius apud Thucydidem exemplum non habuit. Praecisum abruptumque genus dicendi omnino ingenio hominis turbulenti temporibus rei publicae Romanae postremis aptum est. Quatenus omnino in opere historico licet, Sallustius figuris rhetoricis utitur verbisque contrarie oppositis. Totius enim orationis argumentum versatur in describendo statu exhaustorum et ad inopiam redactorum popularium atque divitum optimatiumque. Itaque iam hac re efficitur, ut per totam orationem quasi quoddam contrarium pateat. Catilina quidem novit profusam optimatium luxuriam; brevibus efficacibusque verbis figurisque eam describit. Neque abhorret a Graecis verbis, vel potius ea eligit de industria, ut specie quadam harum rerum aversationis quodam modo virtutem priscorum Romanorum prae se ferat § 12: „cum tabulas signa *toreumata* emunt, ... tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt". § 7: „postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit semper illis reges *tetrarchae* vectigales esse, populi nationes stipendia pendere".

Principium orationis § 2: „neque ego . . . . incerta pro certis captarem", similitudinem quandam habet cum

tissima est. Accedit quod condiciones Mytilenaeorum coniuratorumque tam similes sunt inter se, ut Sallustius occasionem non praetermittendam esse putaret, ut exemplum Thucydidis (in orationibus Cleonis et Diodoti) secutus in controversia excelleret, inducendo duos viros, Caesarem Catonemque, de eadem re disputantes, sed contra dicentes.

Per totam Caesaris orationem idem sententiarum ordo eademque dispositio inveniri licet atque in oratione Diodoti. Diodotus enim orationem incipit hac sententia, de rebus gravissimis accurate esse consultandum; haec duo, celeritatem et iram, bonae consultationi maxime contrarias esse ob eamque rem vitandas. Non sententiam modo, sed verba etiam principii orationis a Caesare habitae ex oratione Diodoti translata esse puto. Caesar enim orationem sic incipit: „Omnis homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio amicitia ira atque misericordia vacuos esse decet" . . . . . § 4: „Magna mihi copia est memorandi, quae reges atque populi ira aut misericordia inpulsi male consuluerint", Diodotique orationis apud Thuc. 3, 42, 1 principium hoc est: *„νομίζω δὲ δύο τὰ ἐναντιώτατα εὐβουλίᾳ εἶναι, τάχος τε καὶ ὀργήν."* Quod vulgare apud oratores esse principium libenter concedam, velut Dem. *περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ* in.: *„Ἔδει μέν, τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα μήτε πρὸς χάριν. . . . ἐπειδὴ δ' ἔνιοι τὰ μὲν φιλονεικίᾳ, τὰ δ' ἡτινιδήποτ' αἰτίᾳ προάγονται λέγειν"* . . . .; tamen cum Sallustius in oratione Caesaris aliis multis in rebus Diodoti orationem sequatur, non dubium esse puto, quin haec quoque sententia ex eodem fonte sit hausta. — Deinde Diodotus uberius disserit de utilitate orationis, ut statui causae convenerat; orationem magistram esse factorum (*διδάσκαλος τῶν πραγμάτων* 3, 42, 2). Sed huius rei Diodoto propria erat causa. Nam de puniendis Mytilenaeis iterum iam consultum est itaque Diodoto contra vituperatores concionandi praeterea erat disputandum. Quod Sallustius non eodem modo Caesarem loquentem inducit de utilitate orationis, maxime est probandum; nam de interficiendis coniuratis primum est actum, neque quisquam affuit, qui utilitatem orationis impugnaret. — Tum Diodotus (Thuc. 3, 43) ad

eorum offensiones transit, qui dicebant corruptos esse oratores in concionibus. Solere usu venire, ut bonae ac salutares sententiae, quae ex improviso dicantur, non minus sint suspectae, quam malae ac perniciosae. Hoc atque simili modo Diodotus statim praevenire studet criminationem eorum, qui dicebant, eum societate contingi Mytilenaeis aut aliquam ex defensione ei esse utilitatem. Caesar quidem ab eiusmodi criminationibus non se defendit, cum ea re suspectum se fecisset. Notum enim erat, Caesarem consiliis coniuratorum interfuisse; itaque Caesar defensione innocentiae suae nihil aliud assecutus esset nisi ut infirmum atque conscium animum prodidisset. Si Sallustius eam Caesari tribuisset defensionem, vitium hoc esset habendum, quod quivis alius potuisset committere excepto uno Caesare. Tamen Caesar in oratione saepius occasionem prehendit scelera coniuratorum commemorandi agnoscendique, ne suspicionem patribus iniciat, se defensorem coniuratorum esse aut colludere cum iis. — Accommodate historiarum scientiae Caesar ad probanda enunciata sua et dicta exempla affert ex historia petita. Ita statim in principio (§ 4—6) exemplum affert indulgentiae in Rhodienses in bello Macedonico secundo iustitiaeque in Carthaginienses exercitae, quamvis insidiose illi agere consuevissent. Dein oratione progrediente (§ 28—34) ut exemplum crudelitatis semper crescentis triginta affert tyrannos, qui inceperint noxios interficere indemnatos. Sed eorum licentiam magis magisque crevisse, ut iuxta sontes insontesque interfecissent. Sullam interfecisse Damasippum eiusque socios. Id ab omnibus probatum esse. Deinde usque eo eum processisse, ut milites rapinis, vastationibus, caedibus impleti essent. §§ 37. 38 Caesar etiam commemorat morem Romanorum, ut optima aliorum populorum instituta imitati sint, praesertim arma atque tela militaria, insignia magistratuum aliaque. Quibus rebus commemorandis Caesar statim studium prodit historiae et antiquitatis. Sallustius quidem recte versatus est in eo, quod totam Caesaris orationis dispositionem orationi Diodoti accommodavit, singula autem, quae statui causae non convenerunt, praetermisit studiaque Caesaris historica in lucem protulit. Quibuscum congruunt quae Atticus apud Cic. Brut. 252 dicit, Caesarem elegantiam in dicendo „multis litteris et eis quidem reconditis et exquisitis summoque studio et diligentia esse consecutum."

Inde a § 7, ubi ad propositum se vertit, Caesar multo magis dispositionem sequitur in oratione Diodoti adhibitam. In iis enim, quae sequuntur, explicat in poena constituenda non esse magnitudinem culpae coniuratorum, sed dignitatem senatus spectandam. Nonnullos de belli civilis vastationibus locutos esse; quonam id spectare? ut ira indignatioque in coniuratos etiam augeatur? Hac re opus non esse. Omnium oculos in senatum esse conversos, ideo clementer esse agendum. Quod in homine privato severitas nominetur, id in publico crudelitatem vocari. Sententiam D. Silani consulis designati de supplicio sumundo non esse iniustam quidem, sed Silanum agere perturbatione incitatum. Metu non esse opus, cum Cicero securitati consuluerit (§ 7—19). Cui explicationi in oratione Diodoti respondet apud Thuc. cap. 44 libri III. Diodotus demonstrat, Atheniensibus non esse quaerendum, iniuriamne Mytilinaei fecerint necne, sed bonum esse consilium capiendum. Non agi de jure aut iniuria, sed de securitate rei publicae. Cleonis sententiam, poenam capitalem Mytilenaeorum rei publicae in futurum utilem fore, non esse rectam. Atheniensibus et Mytilenaeis de jure non esse quaerendum; nihil aliud agi nisi commodum rei publicae.

In iis, quae iam sequuntur in oratione Caesaris, magis etiam ad expositionem Diodoti Sallustius se applicat. Caesar enim exponit, mortem omnium malorum esse finem summumque supplicium, quod de hominibus sumi possit. Qua de causa Silanum etiam acerbius quicquam non addere et censere, coniuratos, priusquam necarentur, verberandos esse? Leges pro supplicio exilium permittere. Summum quidem supplicium coniuratos meruisse, senatui autem moderate esse agendum. Tum sequuntur exempla ex historia petita, quo nimia illa severitas progredi possit. Prioribus temporibus apud Romanos supplicium quoque usitatum fuisse. Quod cum saepius sumptum sit de viribus innocentibus, lege Porcia aliisque legibus exilium esse permissum. Atque in ea re maiores sapientius egisse quam senatum.

Ita se censere, bona coniuratorum publicanda atque ipsos per municipia in vinculis tenendos esse (§ 20—43). In secunda parte orationis Diodoti simillimum invenimus sententiarum ordinem. Summum supplicium, mortem, non esse praesidium contra futuras Mytilenaeorum ceterorumque sociorum seditiones. Thuc. 3, 45, 2: „*διεξεληλύθασί γε διὰ πασῶν τῶν ζημιῶν οἱ ἄνθρωποι προστιθέντες, εἴ πως ἧσσον ἀδικοῖντο ὑπὸ τῶν κακούργων. καὶ εἰκὸς τὸ πάλαι τῶν μεγίστων ἀδικημάτων μαλακωτέρας κεῖσθει αὐτάς, παραβαινομένων δὲ τῷ χρόνῳ ἐς τὸν θάνατον αἱ πολλαὶ ἀνήκουσιν, καὶ τοῦτο ὅμως παραβαίνεται. ἢ τοίνυν δεινότερόν τι τούτου δέος εὑρετέον ἐστὶν ἢ τόδε γε οὐδὲν ἐπίσχει.*“ . . . Spem atque libidinem ne mortem quidem metuere. Vim legum contra perturbationes, cum hominum natura ad eas impellat, nihil valere. Si Athenienses in noxios mortem constituerent, Mytilenaeos omnia extrema experturos esse urbemque eorum ipsam interituram. Contra si Athenienses Mytilenaeis ignoscerent, certe vectigalia ab iis accepturos esse. Athenienses ita se parare debere, ut securi esse possint; culpam eorum, qui desciverint, non esse insectandam, praesertim cum Mytilenaei liberi sint viri. Praeterea Athenienses supplicio sumundo ubique populares adversarios sibi esse facturos. Supplicio constituendo iustitiae simulque commodi rationem haberi non posse. Postremo Diodoti sententia ea est, ut praeter duces et principes defectionis nemo sit interficiendus.

Quicunque hanc orationem atque animum, quo Thucydides eam scripsit, exemplum esse orationis Caesaris non intellegit, eum nescio, an omnino Sallustium Thucydidem secutum esse sibi persuadeat. Cognoscimus enim hac oratione, quam scienter Sallustius ingenium Caesaris expresserit simulque ad exemplum Thucydidis se applicare scierit. Caesarem in senatu re vera ita esse locutum, ut Sallustianae orationis est argumentum, conicere fere possumus; aut certe Sallustius animum ingeniumque atque etiam genus dicendi Caesaris summa cum arte expressit; atque quae Atticus apud Cic. Brut. § 252 de eo praedicat, summo iure ad nostram quoque orationem referri possunt: „de Caesare et ipse ita iudico et de hoc huius generis acerrumo existumatore (i. e. Cicerone) saepissume audio, illum omnium fere oratorum

Latine loqui elegantissume; nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Laeliorum et Muciorum familiis audiebamus, sed, quamquam id quoque credo fuisse, tamen, ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris et eis quidem reconditis et exquisitis summoque studio et diligentia est consecutus“ etc. . . . . Quamvis argumentum et sententiarum ordo ad orationem Diodoti sint applicata, nullum tamen invenimus graecismum, nullam constructionem inusitatam aut rariorem, nullum archaismum, nullum verbum insolitum. Illud quidem in Sallustio praedicandum est, quod Caesarem vel maxime Latine loquentem inducit. „Latinitas autem est, quae sermonem purum conservat, ab omni vitio remotum“ rhet. ad Her. 4,17, ac Latinitate et explanatione efficitur elegantia orationis.*) Quam definitionem generi dicendi nostrae orationis aptam esse, omnes concedent. Tamen cum ea Latinitate Sallustius etiam compositionem**) coniungit, quam Cato (Cat. 52, 13) in oratione Caesaris praedicat: „Bene et c o n p o s i t e C. Caesar de vita et morte disseruit“ etc. Qualis autem sit composita oratio, auctor ad Her. 4, 18 explicat: „Compositio est verborum constructio, quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas“.

Ex nostrae igitur orationis exemplo concludere possumus, Sallustium oratores eo modo loquentes induxisse, ut ipsorum ingenio videretur aptissimum, sententiasque etiam singulas ab ipsis illis viris dictas in orationem eum excepisse, in dispositione autem magis ad suum arbitrium egisse atque genera dicendi proprietatibus singulorum virorum adaptasse. Sed Sallustium interdum multo magis ab argumento orationum re vera habitarum recedere, maxime perspicuum notumque est ex oratione Catonis.

Oratio Caesaris in optimis orationibus apud Sallustium est numeranda vel potius optima est habenda et propter acrem cognitionem et perceptionem condicionum rerum, acutam argumentationem, cui maxime respondet Diodoti oratio, et propter purum sermonem. Gerlachius hac in oratione praedicat lucidum ordinem et aptam

---

*) v. Ernesti Lex. techn. Lat. rhet. p. 237.
**) v. Ernesti p. 73.

argumentorum dispositionem atque collocationem. Nos vero omnino in Sallustio praedicamus, quod non singulas figuras modo rhetoricas, graecismos sententiasque transtulit, sed animum etiam et ingenium Thucydidis orationumque eius percepit atque in orationibus demonstravit.

Catonis orationem Sallustius neque in dispositione neque in argumento neque in singulis sententiis adaptavit ad aliquam Thucydidis orationem. Quod ut intermiserit, Sallustius ea maxime re commotus esse videtur, quod Catoni constanter populi causam agenti verba sententiasque tribuere noluit, quorum auctor erat Cleon turbator plebis. Ea enim re Sallustius dignitati Catonis se nocere putavit. Tamen Sallustius Cleonis orationem tractavit nonnullaque in memoria ei haesisse videntur. Locus Cat. 52,6: „Non agitur de vectigalibus neque de sociorum iniuriis: libertas et anima nostra in dubio est,“ similitudinem quandam habet cum loco ex Cleonis oratione Thuc. 3,39,7: *„ἡμῖν δὲ πρὸς ἑκάστην πόλιν ἀποκεκινδυνεύσεται τά τε χρήματα καὶ αἱ ψυχαί. καὶ τυχόντες μὲν πόλιν ἐφθαρμένην παραλαβόντες τῆς ἔπειτα προσόδου, δι' ἣν ἰσχύομεν, τὸ λοιπὸν στερήσεσθε.*“ Porro ut causas reiciendas parcendi coniuratis Cato affert mansuetudinem et misericordiam Cat. 52,11: „Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat.“ Cleon tres nominat omni dominationi res periculosissimas Thuc. 3,40,1: *„οἶκτον καὶ ἡδονὴν λόγων καὶ ἐπιεικείαν.*“ Atque etiam in eo, quod Cato coniuratorum conatum communicandae coniurationis cum Allobrogibus commemorat Cat. 52,24: „Coniuravere nobilissumi cives patriam incendere, Gallorum gentem infestissumam nomini Romano ad bellum accersunt“ similitudo quaedam inest cum criminationibus, quibus Cleon in Mytilenaeos utitur Thuc. 3,39,2: *„ἐζήτησάν τε μετὰ τῶν πολεμιωτάτων ἡμᾶς στάντες διαφθεῖραι.**)

Tota Catonis oratio contra Caesarem est dicta, cum Cato statim a principio orationis eam sententiam proferat et persequatur, patribus a coniuratis esse cavendum, non agendum de poena constituenda. —

*) Ad hunc locum cf. infra in cap. III de graecismis.

Sallustium vero in nostra oratione ad argumentum orationis a Catone re vera habitae accurate se non applicuisse, ex aliis testimoniis recte nonnulli concluserunt. Sed Gerlachii in ed. mai. ad Cat. 52 sententiae de orationis forma, „eam a fuco orationis abhorrere“, assentiri non possum. Nescio qua re Gerlachius ad eam sententiam proferendam commotus sit, cum constet, scriptores veteres usque eo historicae artis non processisse, ut cuiusque naturam propriam genere dicendi in orationibus exprimerent. Nostra quidem oratio omni genere fuci oratorii completa est. Quapropter Gerlachii sententia non ad nostram orationem, sed omnino ad Catonis genus dicendi referenda est, de quo Plutarchus Cato min. 5 ita iudicat: *„καὶ γὰρ ὁ λόγος νεαρὸν μὲν οὐδὲν οὐδὲ κομψὸν εἶχεν, ἀλλ' ἦν ὄρθιος καὶ περιπαθὴς καὶ τραχύς. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ χάρις ἀγωγὸς ἀκοῆς ἐπέτρεχε τῇ βραχύτητι τῶν νοημάτων καὶ τὸ ἦθος αὐτοῦ καταμιγνύμενον ἡδονήν τινα καὶ μειδίασμα τῷ σεμνῷ παρεῖχεν οὐκ ἀπάνθρωπον.*“ Cato eloquentia fuit praeclarus, quamvis stoicos sequeretur, qui a disputando ad dicendum traducti inopes reperiebantur. cf. Brutum in Cic. Brut. § 118: „in quo perfectissimo stoico summam eloquentiam non desidero.“ Sed haec dicta sunt de ipsius Catonis oratoria facultate nihilque impedit, quo minus Sallustii Catonianae orationi omne artificium rhetoricum tribuamus. Catonis maxime oratio artibus rhetoricis figurisque excellit; plena est omni rhetorices instrumento demonstratque, quam diligenter Sallustii temporibus ars rhetorica sit tractata ac quantopere ipse Sallustius figurarum multitudinem iis viris, quos in libris suis loquentes inducit, tribuat. Sed cum figurae in oratione Catonis ex Thucydide aut aliis scriptoribus Graecis singillatim non sint translatae, sed Sallustii Ciceronisque temporibus omnino iam in usum venerint atque in scholis rhetorum sint traditae, huc non pertinet uberius de iis disserere.

Aptissime moribus Catonis, qui vetera modo conservare studuit, Sallustius prisca ei tribuit verba 52, 4: „nihil fit relicui victis.“ § 9: „parvi pendere.“ § 34: „quibus si quicquam umquam pensi fuisset.“ His admixtae sunt translationes ex Demosthene et Thucydide. Principium 52, 2: „Longe alia mihi mens est, patres

conscripti, cum res atque pericula nostra considero, et cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo" . . . . summam habet similitudinem cum principio Demosthenis or. Olynth. III.: „*οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους οὓς ἀκούω.*" Perspicuum igitur est, Sallustio inprimis principia orationum Demosthenis Thucydidisque in memoria haesisse atque optimum ei visum esse orationum, quas libris suis inseruit, eadem principia facere, quibus Demosthenes et Thucydides usi sunt. — Alia translatio haec est Cat. 52, 11: „Iam pridem equidem nos vera vocabula rerum amisimus: quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eo res publica in extremo sita est."*) Quem locum Sallustius ex descriptione depravationis apud Graecos morum Thuc. 3, 82, 3 hausit: „*καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει. τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος ἀνδρία φιλέταιρος ἐνομίσθη, μέλλησις δὲ προμηθὴς δειλία εὐπρεπής, τὸ δὲ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα*" . . .

Nulla fere alia oratio minus ad argumentum orationis re vera habitae se applicat quam Catonis. Sed Catilinae quoque ante pugnam cohortatio Cat. 58 tota fere a Sallustio ficta esse videtur aeque atque oratio apud coniuratos habita. Duabus his orationibus Sallustius saevum Catilinae furorem desperationemque expressit. Orationem Catilinae c. 58 ad aliquam Thucydidis cohortationem esse adaptatam, pro certo affirmari non potest. Neque enim congruit cum cohortatione praefectorum classis Peloponnesiacorum Thuc. 2,87 neque Phormionis 2,89 neque Demosthenis 4,10 neque Hippocratis 4,95 neque Brasidae 4, 126 et 5, 9. Potius conicere licet, Sallustium in conscribenda Catilinae oratione meminisse orationum Niciae apud milites in Sicilia habitarum, praesertim cum interitus Niciae aeque esset miserabilis ac Catilinae. Amborum orationes consilium spirant immutabile, pugnam discriminis plenam cum adversario committendi, sed carent fiducia victoriae aut felicis receptus. Illa tamen re ambo inter se differunt,

*) cf. or. Macri § 13.

quod Catilina cum indomita ferocia fato se obicit, Nicias immutabili numinis consilio se dedit. Re vera nonnullae quoque sententiae similes in orationibus Catilinae et Niciae inveniuntur, ut initio orationis 58,1: „Conpertum ego habeo, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum neque fortem ex timido exercitum oratione inperatoris fieri", quae sententia conferatur cum principio orationis Niciae Thuc. 6,68,1: „*αὐτὴ γὰρ ἡ παρασκευὴ ἱκανωτέρα μοι δοκεῖ εἶναι θάρσος παρασχεῖν ἢ καλῶς λεχθέντες λόγοι μετὰ ἀσθενοῦς στρατοπέδου.*" cf. porro Cat. 58,7 cum Thuc. 6,68,4. Item verba ex posteriori oratione Niciae Thuc. 7,61,1: „*ὁ μὲν ἀγὼν ὁ μέλλων ὁμοίως κοινὸς ἅπασιν ἔσται περί τε σωτηρίας καὶ πατρίδος ἑκάστοις οὐχ ἧσσον ἢ τοῖς πολεμίοις,*" conferri possunt cum contrario dicto Catilinae Cat. 58,11: „Praeterea non eadem nobis et illis necessitudo inpendet: nos pro p[illegible]ria pro libertate pro vita certamus, illis supervacaneum est pugnare pro potentia paucorum." Exempla allata ex orationibus Niciae esse translata, non contendo; illud contendo, argumentum orationis Catilinae totamque eius mentem inter cohortationes apud Thucydidem maximam habere similitudinem cum orationibus Niciae, sive ea similitudo ex simili Catilinae et Niciae fortuna ducenda est sive Sallustius ex omnibus apud Thucydidem cohortationibus maxime Niciae tractavit easque ut exemplaria eius generis orationum habuit. — Finckhius in Fleckeiseni Annall. vol. 79 a. 1859 p. 864 cum loco nostrae orationis modo commemorato comparat locum Demosthenis pro Corona § 3: „*οὐ περὶ τῶν ἴσων ἀγωνίζομαι· οὐ γάρ ἐστιν ἴσον νῦν ἐμοί τῆς παρ' ὑμῶν εὐνοίας διαμαρτεῖν καὶ τούτῳ μὴ ἑλεῖν τὴν γραφήν, ἀλλ' ἐμοὶ μὲν . . . . οὗτος δ' ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ,*" lectori concedens, quatenus sententiae mutuationem esse factam putet. Quamvis locus ex oratione Niciae Thuc. 7,61,1, quem attuli ad sententiam Catilinae, contrarius sit Catilinae dicto, tamen fieri potuit, ut Sallustius ad id dictum commotus sit contraria sententia Niciae. Tamen negare non possumus, Sallustium etiam Demosthenis orationem de corcna tractasse (ut infra maxime in oratione Lepidi videbimus), Catilinaeque sententiam ex ea oratione potuisse desumi.

Iam transeamus ad orationes belli Iugurthini po-

tiores. Orationis Adherbalis in senatu Iug. c. 14, qua auxilium contra Iugurtham petit, apud Thucydidem nullum est exemplum. Eius quoque genus dicendi paullum ab aliis Sallustii orationibus differt. Vehementia quadam Adherbal ab senatu petit auxilium contra Iugurtham, preces miscens cum lamentis de acerba fortuna. Quo sonu flebili accidit, ut Adherbalis oratio saepius eodem redeat (quod recte Gerlachius ad nostram orationem observavit). Omni modo studet, ut misericordiam patrum commoveat. Per totam orationem invenitur commiseratio, quae vocatur in rhetorica; quod argumento est rhetoricae Sallustianarum orationum compositionis. Commiserationem frustra quaeres in Thucydideis orationibus, quamvis etiam Thucydidi facultas fuerit exprimendi animorum abiectionem Concyraeorum, qui ab Atheniensibus auxilium petunt contra Corinthios (Thuc. 1, 32—36) maximeque Plataeensium, qui a Lacedaemoniis petunt clementiam (Thuc. 3, 53—59). Ambarum orationum genus dicendi omnino est grave atque a commiseratione alienissimum. In Plataeensibus nullam invenimus lamentationem miserabilem, sed strictam firmissimamque argumentationem, a Lacedaemoniis iniuriam sibi fieri, si Thebanis traderentur. — Formula, qua Sallustius oratores solet inducere loquentes, in Adherbalis oratione differt ab aliis; nam cum alias Sallustius formulis utatur „orationem huiuscemodi habuit" (Cat. 20. 52.58) aut „huiuscemodi verba locutus est" (Cat. 51. Iug. 102) aut „huiuscemodi verbis disseruit" (Iug. 31) aut „hoc modo disseruit" (Iug. 85), in referenda Adherbalis oratione aliter se exprimit: „hoc modo locutum a c c e p i m u s" similemque formulam adhibet in oratione Micipsae morientis (Iug. 10): „d i c i t u r huiuscemodi verba cum Iugurtha habuisse." Cui rei fortasse minus esset tribuendum, si Sallustium his in rebus omnino aequabiliter versari non videremus. Formulis enim „hoc modo locutum accepimus" et „dicitur huiuscemodi verba habuisse" Sallustius certe significare vult, argumentum orationum commemoratarum auditu compertum a se esse expressum. Quare harum orationum argumenta magis mihi videntur adaptata esse ad orationes re vera habitas quam aliarum orationum.

Aliud plane genus dicendi invenimus in oratione

C. Memmii Iug. 31. De eo atque de L. Memmio Cic. dicit in Brut. § 136: „C. L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi; itaque in iudicium capitis multos vocaverunt, pro reis non saepe dixerunt." Memmii oratio multo magis generi dicendi Catonis quam Thucydidis est adaptata, ut propugnatorem popularium et priscae virtutis decuit. Ita principium statim orationis Memmii: „multa me dehortantur a vobis, ni studium rei publicae omnia superet: opes factionis, vostra patientia, ius nullum" . . . ex oratione Catonis contra Servium Galbam apud Gell. 13,24,7 haustum esse videtur: „multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus," quod Gerlachius iam monet. Item „nequitur" prisca est forma. Paucis enim formis insolitis, sententiis ex Graeco translatis figurisque Sallustius oratoribus id genus dicendi tribuit, quod cuiusque ingenio maxime convenire putavit. — Quo magis igitur Sallustius hac in oratione Catonem imitatur formasque priscas usurpat, eo minus ex Thucydide Graecisque scriptoribus haurit. Omnino autem in bello Iugurthino insertisque ei orationibus Graecos scriptores multo minus imitatus esse videtur quam in bello Catilinario. Tamen in orationibus quoque belli Iugurthini sententias nonnullas invenimus generales ex Thucydide aliisque scriptoribus Graecis translatas. Ex nostra oratione Cat. 31,17: „maius dedecus est parta amittere quam omnino non paravisse" referendum est ad Thuc. 2,62,5: *„αἴσχιον δὲ ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι ἢ κτωμένους ἀτυχῆσαι."* *) Eandem sententiam, sed paullo immutatam, Demosthenes quoque Olynth. 2 § 26 expressit: *„πολὺ γὰρ ῥᾷον ἔχοντας φυλάττειν ἢ κτήσασθαι πάντα πέφυκεν."* Vulgata quidem haec est sententia, tamen Sallustianum locum originem debere sententiae Periclis apud Thucydidem, etiam ex aliis similitudinibus orationis Memmii cum oratione Periclis, qua Athenienses ob animi defectionem vituperat animosque eorum erigere studet (Thuc. 2, 60—64), elucet. Nam sententia Iug. 31,22: „nam et illis, quantum importunitatis habent, parum est inpune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur, et vobis aeterna sollicitudo remanebit, cum i n t e l l e g e t i s

*) cf. in oratione Marii Iug. 85,25 similem sententiam.

aut serviundum esse aut per manus libertatem retinendam", hausta est ex Thucydide 2,63,2: „*ὡς τυραννίδα γὰρ ἤδη ἔχετε αὐτήν (τὴν ἀρχήν), ἣν λαβεῖν μὲν ἄδικον δοκεῖ εἶναι, ἀφεῖναι δ᾽ἐπικίνδυνον.*" Item sententia mea de imitatione orationis Periclis ea re confirmatur, quod Sallustius in cap. sequente Iug. 32,1 dicit: „Haec atque alia huiuscemodi saepius dicundo Memmius populo persuadet uti" .... eademque formula Thucydides post orationem Periclis relatam utitur 2,65,1: „*τοιαῦτα ὁ Περικλῆς λέγων ἐπειρᾶτο τοὺς Ἀθηναίους τῆς τε ἐς αὐτὸν ὀργῆς παραλύειν.*" Eam similitudinem, quod et Sallustius et Thucydides expresserunt, quid oratores orationibus suis spectaverint, non esse fortuitam puto, praesertim cum apud ambos historicos hae formulae nusquam fere nisi hoc loco inveniantur. De graecismo constructionis verbi „amare", quem adhibet Sallustius in capite non multum infra sequente Iug. 34,1, ex Thucydide 2,65,2 hausto infra disseram.

Multis in rebus oratio Marii Iug. 85 similis est Memmii orationi. Optime Marii genus dicendi ipsius verbis significatur 85,31: „**non sunt conposita verba mea**: parvi id facio. ipsa se virtus satis ostendit. illis **artificio** opus est, ut turpia facta oratione tegant. neque litteras Graecas didici: parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. „Composita verba" terminum rhetorices esse technicum atque quid significent, iam supra in oratione Caesaris explicanda exposui. Faciunt enim omnes partes orationis aequabiliter perpolitas. Item „artificium" in terminis technicis rhetorices est numerandum; saepius invenitur apud Ciceronem aliosque, qui de rhetorica scripserunt, ea vi: „Kunstmaeszige rhetorische Ausbildung, theoretische Ausbildung in der Rhetorik."*)

Quod attinet ad verba „neque litteras Graecas didici", ea vero recte de se ipse dicere potuit Marius; sed ad nostram orationem referri non possunt. Duo enim loci haud dubie ex Graecis scriptoribus sunt translati, quorum unus hic est Iug. 85, 12: „praeposteri homines: nam gerere quam fieri tempore posterius, re atque usu prius est", qui locus translatus est ex Dem.

*) cf. Ernesti s. v. ars. p. 33.

Olynth. 3 § 15: „*τὸ γὰρ πράττειν, τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν ὕστερον ὂν τῇ τάξει, πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ᾽εστιν.*" Item sententia (iam in oratione Memmii prolata) Iug. 85, 25: „nobilitatem certe peperisse melius est quam acceptam conrupisse" ad Thucydidis exemplum in oratione Periclis 2, 62, 5 referenda est. Deinde alia sententia Iug. 85, 49: „etenim nemo ignavia inmortalis factus est neque quisquam parens liberis uti aeterni forent optavit, magis uti boni honestique vitam exigerent" tantam similitudinem habet cum Platonis loco, ut Sallutium eum in usum suum transtulisse existimem. Is locus Platonis est Menex. c. 20: „*οὐ γὰρ ἀθανάτους σφίσι παῖδας εὔχονται γενέσθαι, ἀλλ᾽ ἀγαθοὺς καὶ εὐκλεεῖς.*"

Uti iam orationi Memmii, ita etiam Mario Sallustius priscum verbum tribuit, „prosapiam", quod verbum teste Nonio 1, 343 Cato in Origg. I. usurpavit, dicens „veteres prosapias."

Ceterum Marii genus dicendi pressum, abruptum, praefractum, asperum, ut Marii mores ferebant. Simile est Memmii orationis genus, etsi non aeque abruptum atque vehemens.

Quodsi respicimus ad orationes belli Iugurthini, Sallustium in iis multo minus ad exemplum Thucydidis atque aliorum scriptorum Graecorum se applicuisse invenimus quam in bello Catilinario. Cuius rei causa, ut mihi quidem videtur, non est deducenda ex eo, quod Sallustius morem ad Graecos se applicandi abiecerit, sed quod praecipuas tres in bello Iugurthino orationes (Adherbalis c. 14, Memmii c. 31, Marii c. 85) imitationem et generis dicendi et argumenti minime permittunt. Argumenta orationum Memmii et Marii maxime tractant morum depravationem dominationemque nobilitatis. Completae sunt orationes ira acerba atque digna partis popularium principibus. Cuius generis dicendi Sallustius exemplum apud Thucydidem invenire non potuit. Thucydides enim, uti virum nobilem decebat, tanta erat animi aequitate et tranquillitate, ut in nulla orationum, quas operi suo inseruit, tantam acrimoniam ostenderet quantam Sallustius in orationibus Memmii et Marii.

In historiis plures invenimus ex Graeco translationes quam in bello Iugurthino. Quod iam in orationibus

belli Iugurthini observavimus, Sallustium a mutuationibus ex Thucydide paullatim discedere eoque magis ad Demosthenem se applicare, idem de orationibus epistulisque ex historiis excerptis dicendum est. Permultae in bello Catilinario translationes ex Thucydide insigniores sunt quam quae lectoribus Romanis occultari potuissent. Citavimus iam in initio commentationis huius locum Senecae rhetoris Controv. 8, 13 p. 249, ex quo perspicuum est, Livium in Sallustio translationes ex Graecis scriptoribus ad verbum factas vituperasse. Sallustii vero ex Thucydide translationes multo magis a veteribus esse perspectas quam ex Demosthene, ex errore consequi mihi videtur, quem Seneca rhetor l. c. committit, dicendo sententiam Thucydidis*): *„δειναὶ γὰρ ἁι εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάσων ἁμαρτήματα“* a Sallustio or. Lep. § 24 esse translatam. Num fortuitus est hic error? Kritzius quidem ad locum nostrum fortuitum eum habet: „Seneca memoriae lapsu Thucydidem nominavit pro Demosthene“. Equidem hunc memoriae lapsum ita factum esse puto, ut Seneca omnino Thucydidem, non Demosthenem ut exemplum, quod Sallustius secutus sit, habuerit. Fortasse non fallimur opinione, iam aequalibus Sallustii praecipue in bello Catilinario imitationem Thucydidis, non Demosthenis, fuisse conspicuam, eosque aequo modo mutuationes ex Thucydide ad Iugurtham et historias retulisse. Sive Sallustius vituperationem imitationis Thucydidis nimiae in operibus duobus posterioribus evitare voluit sive omnino potius habuit iam ad Demothenem se applicare; certe illud constat, in orationibus ex historiis excerptis fragmentisque paucas modo ex Thucydide mutuationes inveniri, multos locos perspicue ex Demosthene esse translatos. Simile quoddam iam in bello Iugurthino cognosci potest, cum praesertim in orationibus ei insertis imitatio Catonis priscorumque scriptorum Romanorum praevalere videatur.

In orationibus autem historiarum plures ex Demosthene inveniri translationes, iam in oratione Lepidi perspicuum est. Omnino hac in oratione multa sunt insignia, de quibus uberius disseri licet, praecipue multae sententiae cum aliis locis orationum congruentes, tamen

*) Sententia potius hausta est ex Dem. Olynth. 2 § 20

huius rei quaestio huc non pertinet. Demostheni vero originem debet sententia § 15: „quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro saeptis statuit,“ quacum congruit Dem. pro Cor. § 97: *„πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὑτὸν καθείρξας τηρῇ.**) Atque §. 24: „secundae res mire sunt vitiis optentui, quibus labefactis quam formidatus est tam contemnetur“ translatum est ex Dem. Olynth 2 § 20. cf. prooemium huius commentationis. Condicio enim, quam M. Aemilius Lepidus consul adversus Sullam obtinuit, omnino similis erat condicioni Demosthenis et Philippi regis Macedonum; itaque non mirum esse censeo, Sallustium maxime orationibus Demosthenis civilibus usum fuisse. Quare in oratione Lepidi orationibusque Philippicis multa invenies similia, etsi omnes sententias, quae similitudinem quandam habeant, ex Demosthene translatas esse contendi non potest. Huiusmodi est or. Lep. § 20: „ne alius alium principem exspectantes ante capiamini.“ Conferri potest ex Dem. Phil. 3 § 35: *„ταῦτα τοίνυν πάσχοντες ἅπαντες μέλλομεν καὶ μαλακιζόμεθα καὶ πρὸς τοὺς πλησίον βλέπομεν, ἀπιστοῦντες ἀλλήλοις, οὐ τῷ πάντας ἡμᾶς ἀδικοῦντι.“*

Transeuntes ad genus dicendi orationis Philippi, eam orationem omnino non ad ingenium orationum Thucydidearum esse adaptatam invenimus; potius Aeschinis oratio in Ctesiphontem in mentem nobis venit. Magis magisque Sallustius sibi persuasit, genus dicendi orationum Thucydidis aequabiliter commodeque ingredientium oratoribus suis ingenio violentis non esse aptum; ideoque ad Demosthenem Thucydide vehementiorem se applicavit, quocum orationes historiarum vehementissimae summam habent similitudinem. Quibus in orationibus, ut mihi quidem videtur, Sallustius occasionem avidissime amplectitur, suas proprias sententias de re publica gerenda aliisque de rebus exprimendi; atque iure contenditur, eum partium studio occaecatum contra Sullam Pompeiumque iniquum esse. Eo magis coniciendum mihi esse videtur, Sallustium in oratione Philippi adversus Sullam habita aeque suas proprias sententias ac Philippi

*) Similitudo, quam Finckhius l. l. inter sententias ambas intercedere dicit, iam a Gerlachio observata est.

proferre. Restat ut ex hac oratione locum afferam § 12: „qui videmini intuentes mala quasi fulmen optare se quisque ne adtingat, set prohibere ne conari quidem,“ qui locus, ut interpretes commemorant, translatus est ex Dem. Phil. 3 § 33: „*ἀλλ᾽ ὅμως ταῦθ᾽ ὁρῶντες οἱ Ἕλληνες ἀνέχονται, καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ὥσπερ τὴν χάλαζαν ἔμοιγε δοκοῦσι θεωρεῖν, εὐχόμενοι μὴ καθ᾽ ἑαυτοὺς ἕκαστοι γενέσθαι, κωλύειν δὲ οὐδεὶς ᾽επιχειρῶν.*“

C. Aurelii Cottae genus dicendi Cicero compluribus locis Bruti summa cum laude commemorat, praecipue § 202: „Inveniebat acute Cotta, dicebat pure ac solute; et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. Nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum; illudque maxumum, quod, cum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati,“ ac deinde §. 317: „Cotta r e m i s s u s e t l e n i s et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam.“ Cottae orationem temperatiori plane genere esse scriptam aliis historiarum orationibus atque ut senem multarumque adversarum rerum expertum nec tamen fractum decuerit, omnes concedent. Tota autem orationis indoles quandam similitudinem habet cum cohortatione Niciae in receptu a Syracusis facto Thuc. 7, 77, quamvis affirmari non possit, Sallustium Niciae orationem secutum esse. Nam quae Sallustius in orationibus historiarum singula ex Thucydide transtulerit didiceritque, parvi pendo; omnino Sallustium opere Thucydidis ad proprium librorum suorum genus esse incitatum, maioris momenti esse puto. Sed quod Sallustius, licet ipse violentus animo fuerit atque pressum quoddam, vehemens, abruptum genus dicendi sectatus sit, tamen remissiorem lenioremque orationem perscribere scivit, non indignus mihi videtur esse aemulus summi historici Graeci.

Supersedeo de Pompei epistula ad senatum uberius disserere, cum translationes ex Graecis scriptoribus in ea non inveniantur. Tamen ea epistula verba ipsius Pompei non esse expressa, sed a Sallustio inventa elucet ex eo, quod tota epistula Sallustiano dicendi genere per-

scripta est et quod formula § 8: „Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvortatis, neu“ praeter hunc locum a Sallustio bis est repetita or. Licin. Macr. 13. or. Phil. 9 et quod aequo modo epistulam quoque Mithridatis, ut infra demonstrabo, non ad verbum retulit, sed ad orationem Corcyraeorum apud Thuc. 1, 32—36 formasse videtur.

De C. Licinio Macro tribuno plebis eiusque dicendi genere Cicero Brut. § 238 ita disserit: „C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissumus. Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingeni everteret, maius nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops tamen, non valde nitens, non plane horrida oratio; vox gestus et omnis actio sine lepore; at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim, sed eam, ut citius veteratoriam quam oratoriam diceres. Hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.“ Sed quoniam huc modo pertinet quaerere, quatenus translationes ex scriptoribus Graecis inveniri possint, hoc praetermittendum nobis est. Genus quidem dicendi maxime est Sallustianum. Tum autem nonnullae quoque mutuationes inveniuntur. Locus § 13: „neu nomina rerum ad ignaviam mutantes otium pro servitio adpelletis“ repetitus est ex oratione Catonis Cat. 52, 11 translatusque ex Thucydide 3, 82, 3, qui quodam modo iam Sallustio in succum et sanguinem transiisse videtur. Porro certa translatio ex Demosthene haec est § 14: „Primum omnium amittundum morem hunc quem agitis, inpigrae linguae, animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis,“ cuius loci ex Demosthene Phil. 4, 1 mutuationem iam Wassius observavit: „*οὐδέν ᾽εστιν ὦ ἄνδρες ᾽Αθηναῖοι τῶν πάντων δυσκολώτερον εἰς τὸ παρόν, ἢ ὅτι ταῖς γνώμαις ὑμεῖς ἀφεστήκατε τῶν πραγμάτων, καὶ τοσοῦτον χρόνον σπουδάζετε ὅσον ἂν κάθησθε ἀκούοντες, ἢ προσαγγελθῇ τι νεώτερον, εἶτ᾽ ἀπελθὼν ἕκαστος ὑμῶν οὐ μόνον οὐδὲν φροντίζει περὶ αὐτῶν, ἀλλ᾽ οὐδὲ μέμνηται.*“ Ad verbum quidem non translata est alia sententia § 19: „ut illis exiguitate mors prohibetur senescunt vires, sic neque absolvit cura familiari tam parva res et ignavi

cuiusque tenuissimas spes frustratur," sed argumenti similitudo probare videtur, Sallustium diligentissime in studium orationum civilium Demosthenis incubuisse. Nostro cum loco, ut Gerlachius monet, comparandus est Dem. Olynth 3 § 33: „ἴσως ἂν .... τῶν τοιούτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τῶν ἰατρῶν σιτίοις διδομένοις ἔοικεν. καὶ γὰρ οὔτ' ἰσχὺν ἐκεῖνα ἐντίθησιν οὔτ' ἀποθνήσκειν ἐᾷ." Atque sententia Macri locum modo allatum sequens: „qua tamen quamvis ampla quoniam serviti pretium ostentaretur, cuius torpedinis erat decipi et vostrarum rerum ultro iniuriae gratiam debere?" tantam habet similitudinem cum loco paullum antecedente ex eadem oratione Olynth. § 31, ut Sallustius certe totam partem extremam orationis Olynth. in mente habuerit. Locus Demosthenis hic est: „νῦν δὲ τοὐναντίον κύριοι μὲν οἱ πολιτευόμενοι τῶν ἀγαθῶν, καὶ διὰ τούτων ἅπαντα πράττεται, ὑμεῖς δ' ὁ δῆμος ἐκνενευρισμένοι καὶ περιῃρημένοι χρήματα, συμμάχους ἐν ὑπηρέτου καὶ προσθήκης μέρει γεγένησθε, ἀγαπῶντες ἐὰν μεταδιδῶσι θεωρικῶν ὑμῖν ἢ βοηδρόμια πέμψωσιν οὗτοι, καὶ τὸ πάντων ἀνδρειότατον, τῶν ὑμετέρων αὐτῶν χάριν προσοφείλετε.*)

Epistulam Mithridatis ad regem Arsacem iam Ursinus, ut Gerlachius dicit, observavit videri fere totam ex oratione Corcyraeorum apud Thuc. 1, 32—36 translatam, quae opinio immoderatior est habenda. Quomodo Ursinus ad opinionem tam audacem commotus sit, ex eo tantum intellegere possum, quod et epistula Mithridatis et oratio legatorum Corcyraeorum simillimum argumentum tractant atque initia epistulae orationisque similia sunt inter se. Corcyraei enim exponunt, ut qui ad alios auxilii implorandi causa veniant, primum demonstrent, sua postulata maxime quidem utilia fore illis, a quibus societatem auxiliumque petant, sin minus, saltem non detrimentosa; deinde vero se firmam illis gratiam habituros. Epistula Mithridatis simillimo modo ita incipit: „Omnes qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere, dein quod quaesitur satisne pium tutum, gloriosum an indecorum sit." Illud quidem perspicuum est, mutua-

*) Quorum locorum similitudinem iam Wassius observavit.

tionem principii ex oratione Corcyraeorum, (quem morem Sallustius alias quoque amat, ut in principio orationum Caesaris et Catonis vidimus) suspicionem debere commovere, reliquam quoque epistulae partem ex oratione Corcyraeorum esse expressam. Tamen ei mutuationi nimis non est tribuendum. Nihil aliud est nisi similis condicio Mithridatis Corcyraeorumque, quae Sallustium commovit, ut epistulam eodem fere animo perscriberet, quo Corcyraeorum oratio est habita. In eo Sullustius Thucydidem imitatur, quod Mithridati argumentationem tribuit, Arsacem, quamvis Romanos sibi hostes facere nollet, perniticm non esse vitaturum. Coryraeorum enim legati similem argumentationem faciunt, tres modo in Graecia civitates multum mari pollere, Corcyram, Athenas, Corinthum. Quodsi Corcyraei cum Atheniensibus se coniungerent, opibus se superaturos esse Corinthios. Hac in sententia exsequenda, quam rhetorice Sallustius eo amplificat, ut Mithridates Arsaci certissimam, si auxilium sibi ferre nollet, praedicat pernitiem, orationem Corcyraeorum imitatur. Quatenus aliis quoque in rebus epistula Mithridatis ex oratione Corcyraeorum expressa sit, equidem non video. Neque enim dispositiones inter se congruunt neque sententiae translatae sunt; neque rhetorice neque grammatice Sallustius in epistula Mithridatis secutus est orationem Corcyraeorum. Qua quidem re sententia mea confirmatur, Sallustium in orationibus et epistulis historiarum pressius Thucydidis genus dicendi sequi desiisse atque ad exornandam orationem potius sententias singulas ex Demosthene hausisse. Iure igitur Sallustius persuasisse sibi videtur, ad rhetoricam orationis exornationem magis formulas sententiasque Demosthenis esse aptas quam Thucydidis.

Quam ob rem rhetoricam Thucydidis imitationem plus aequo augere mihi videntur, qui putant, Sallustium praeter translationem nonnullarum formularum sententiarumque et graecismos multa alia ex Thucydide mutuari potuisse ita ut totum genus dicendi cum Thucydide congruat atque Sallustius ipse Thucydidius nominari possit; quo de genere imitatorum Cic. or. § 30 hoc modo disserit: „Ecce autem aliqui se Thucydidios esse profitentur, novum quoddam imperitorum et inauditum genus." Ac praeclarissime Cic. or. § 31 ita pergit:

„Qui porro umquam Graecorum rhetorum a Thucydide quidquam duxit?“ Quod argumento esse puto, in Thucydidis genere dicendi nihil fere inesse artificii rhetorici proprium. Nemo autem est, qui id dictum Ciceronis summi oratoris Romani simulque peritissimi in arte rhetorica magistri impugnet. Frustra operam consumes in quaerendo apud Thucydidem studio rhetorices. Summus enim historicus Graecorum quam maxime potest a fuco rhetorico se abstinet. Invenies quidem, cum quaeras, apud Thucydidem figuras rhetoricas nonnullas, apud Sallustium creberrimas. Sed Sallustii figurae rhetoricae non tam sunt haustae ex Thucydide quam prodierunt ex studio eloquentiae rhetoricaeque omnino, quod illis temporibus in scholis rhetorum colebatur.

Demosthenis autem, ut supra iam diximus, imitatio crebrior ex postremo Sallustii opere, historiis elucet i. e. singulae maxime sententiae ex Demosthene translatae sunt.

Restat ut quaeramus, quid Sallustius in reliquis operum suorum partibus ex Graecis transtulerit. — In bello Catilinario vix locum ullum, cum prooemium atque orationes excipias, invenies, quem plane ex scriptore Graeco esse translatum contendas. Contra eo plures narrationi belli Iugurthini translationes ex Graecis, etiam ex Thucydide non paucas Sallustius immiscet. Verba Iug. 2,3: „postremo corporis et fortunae bonorum ut initium sic finis est omniaque orta occidunt et aucta senescunt“ congruunt cum sententia ex oratione Periclis a Sallustio multum tractata Thuc. 2,64,3: *„πάντα γὰρ πέφυκε καὶ ἐλασσοῦσθαι.“* — Translationem loci Iug. 7,5: „et proelio strenuus erat et bonus consilio, quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet“ ex Thuc. 2,40,3 iam Poppo in dissertatione de Thucydidis imitatoribus in ed. Thuc. Prolegg. vol. I. p. 380 observavit et Finckhius iterum comprobavit in Fleckeiseni Annall. vol. 79. l. l. Periclis sententia apud Thuc. haec est: *„διαφερόντως δὴ καὶ τόδε ἔχομεν, ὥστε τολμᾶν τε οἱ αὐτοὶ μάλιστα καὶ περὶ ὧν ἐπιχειρήσομεν, ἐκλογίζεσθαι, ὃ τοῖς ἄλλοις ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.“* In transferenda hac sententia Sallustius simul transmutationem membrorum com-

prehensionis facit ita, ut *ἀμαθία* et *θράσος* respondeant audaciae et temeritati, *λογισμὸς* et *ὄκνος* providentiae et timori. Eiusmodi enim transmutationes in transferendis sententiis saepius Sallustius adhibet.

In digressione de interitu morum civitatis Romanae Iug. 41. 42 Sallustius secutus est similem digressionem apud Thuc. 3, 81—84, quod nobis similibus nonnullis locis confirmatur. Iug. 41, 5: „sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt, res publica, quae media fuerat, dilacerata“ hausta sunt ex Thuc. 3, 82, 9: *„τὰ δὲ μέσα τῶν πολιτῶν ὑπ᾽ ἀμφοτέρων ἢ ὅτι οὐ ξυνηγωνίζοντο ἢ φθόνῳ τοῦ περιεῖναι διεφθείροντο.“* Alia mutuatio est Iug. 42, 4: „quae res plerumque magnas civitatis pessum dedit, dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt“ ex Thuc. 3, 82, 8: *„παντὶ δὲ τρόπῳ ἀγωνιζόμενοι ἀλλήλων περιγίγνεσθαι ἐτόλμησάν τε τὰ δεινότατα ἐπεξῄεσάν τε τὰς τιμωρίας ἔτι μείζους, οὐ μέχρι τοῦ δικαίου καὶ τῇ πόλει ξυμφόρου προστιθέντες, ἐς δὲ τὸ ἑκατέροις που ἀεὶ ἡδονὴν ἔχον ὁρίζοντες, καὶ ἢ μετὰ ψήφου ἀδίκου καταγνώσεως ἢ χειρὶ κτώμενοι τὸ κρατεῖν ἑτοῖμοι ἦσαν τὴν αὐτίκα φιλονεικίαν ἐκπιμπλάναι.“* Sed in sequentibus quoque capitibus Sallustius praeclara illa Thucydidis descriptione morum deperditorum usus est, ut perspicue elucet ex loco Iug. 44, 5: „postremo quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra in illo exercitu cuncta fuere et alia amplius“, cuius loci est exemplum Thuc. 3, 81, 4: *„πᾶσά τε ἰδέα κατέστη θανάτου καὶ οἷον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι, οὐδὲν ὅ τι οὐ ξυνέβη καὶ ἔτι περαιτέρω.“* Simul Sallustius hoc loco verbum *„φιλεῖν“* significatione „solere“ reperit, quod Iug. 34, 1 verbo „amare“ reddit. Omnino autem praeclarissimas ex hac descriptione Thucydidis sententias Sallustius hausit atque diversis operum suorum locis interposuit ita, ut totum fere cap. 82 libri III. translatum sit.

Locus Iug. 53, 8: „quippe res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet, advorsae res etiam bonos detrectant“ originem debere videtur orationi Periclis 2, 62, 5: *„αὔχημα μὲν γὰρ καὶ ἀπὸ ἀμαθίας εὐτυχοῦς καὶ δειλῷ τινι ἐγγίγνεται.“* Deinde

ad extremum Iug. 107, 1 Sallustius in cohortatione Sullae sententiam: „nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hostis vortere“ transtulit ex Xenophonte, quam translationem vel Kritzius, cautissimus in his rebus, concedit. Verba Xenophontis Cyrop. 3, 3, 45 haec sunt: „*Μωρὸν γὰρ τὸ κρατεῖν βουλομένους τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα καὶ ἄχειρα ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντες.*“

Quo igitur minus Sallustio facultas data est orationibus Iugurthae insertis sententias ex scriptoribus Graecis translatas immiscendi, eo magis narrationem belli Iugurthini alienis sententiis exornare studuit.

Prooemii historiarum et prooemii operis Thucydidei similitudinem intercedere, in cap. I. monui; in orationibus vero historiarum multo plures translationes ex Demosthene quam ex Thucydide inveniri, iam supra exposui. Magnopere autem dolendum est, quod historiarum libri non sunt servati. Itaque cogimur ex fragmentis de toto opere coniecturam facere.

Fragm. 1, 12: „adeo iuventus luxu atque avaritia conrupta est, uti merito dicatur genitos esse qui neque ipsi habere possent res familiaris neque alios pati“, translatum est ex Thuc. 1, 70: „*Ὥστε, εἴ τις αὐτοὺς ξυνελὼν φαίη πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν, μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν, ὀρθῶς ἂν εἶπεν.*“ Et prooemium totum historiarum et locus allatus imitationem Thucydidis produnt. Tamen simillimam sententiam apud Demosthenem quoque invenimus Phil. 3,73: „*καὶ γὰρ εὔηθες τὰ οἰκεῖα αὐτοὺς προεμένους τῶν ἀλλοτρίων φάσκειν κήδεσθαι, καὶ τὰ παρόντα περιορῶντας ὑπὲρ τῶν μελλόντων τοὺς ἄλλους φοβεῖν.*“ Sed cum Thucydides ab Demosthene quoque studiosissime tractatus esset, quibus ambobus Sallustius usus est, non est mirum, Sallustium eas maxime sententias, quae ab ambobus scriptoribus Graecorum summis similiter expressae erant, ipsum convertisse in usum suum et ex eo quidem auctore, qui sententiam optime verbis exsecutus esse videretur.

Deinde quae fragm. 1, 55 D. Sallustius de Sertorio dicit: „Quae vivos facie sua ostentabat aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo; quin ille dehone-

stamento corporis maxume laetabatur, neque elisis anxius, quia relicua gloriosius retinebat,“*) ut Castricius apud Gell. 2, 27 commemorat, originem debere videntur loco Demosthenis de Cor. 67 p. 247: „*Ἑώρων δ' αὐτὸν τὸν Φίλιππον, πρὸς ὃν ἦν ἡμῖν ὁ ἀγών, ὑπὲρ ἀρχῆς καὶ δυναστείας τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένον, τὴν κλεῖν κατεαγότα, τὴν χεῖρα, τὸ σκέλος πεπηρωμένον, πᾶν, ὅ τι ἂν βουληθείη μέρος ἡ τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι, τοῦτο προϊέμενον, ὥστε τῷ λοιπῷ μετὰ τιμῆς καὶ δόξης ζῆν.*“ Kritzius quidem fatetur, sibi cum Gronovio minimam inter Demosthenis et Sallustii verba intercedere videri similitudinem, ut dubitari possit de imitatione consulto facta. Sed verborum similitudo intercedat necne, nihil refert; agitur de tanta argumentorum similitudine, ut mutuationem suspicari cogamur; eamque inter ambas sententias intercedere, equidem non negaverim. Locupletissimus igitur hic est locus, quantopere Sallustius modum imitationis excesserit et rhetorice sententiam auctoris, quem secutus est, exauxerit; quae amplificatio vel maxime a rhetoribus Romanis in luminibus orationis numerabatur. Praeclarissime T. Castricius apud Gell. 2,27 de ea sententiarum amplificatione disserit, totumque hunc locum hic apponere liceat: „De utriusque his verbis T. Castricius cum pensitaret, nonne, inquit, ultra naturae modum humanae est dehonestamento corporis laetari? siquidem laetitia dicitur exultatio quaedam animi cum gaudio efferventiore rerum expetitarum. Quanto illud sincerius et magis rationibus conveniens: *πᾶν, ὅ τι ἂν βουληθείη μέρος ἡ τύχη τοῦ σώματος παρελέσθαι, τοῦτο προϊέμενον*? Quibus verbis, inquit, ostenditur Philippus, non, ut Sertorius, corporis dehonestamento laetus, quod est, inquit, insolens et immodicum; sed, prae studio laudis et honoris jacturarum damnorumque corporis contemtor, qui singulos artus suos fortunae producendos daret quaestu atque compendio gloriarum.“

---

*) Lachmanni coniectura ad hunc locum corruptum, est: „neque illi anxius, quo relicuo gloriosius renidebat.“

III.

Quatenus Sallustius in structura verborum Graecos scriptores imitatus sit, quaeritur.

In perquirendis apud Sallustium graecismis summa cautio est adhibenda. Neque enim sunt omnia, quae similitudinem quandam habent Graeci sermonis, ex Graeco translata. Nam cum omnes linguae aliae magis aliae minus inter se sint similes, in Latino quoque sermone diligentissime est quaerendum, quid sit Latii proprium, quid ex Graecia allatum. Quae cautio eo magis est adhibenda, quia Sallustius simul haud parvam copiam priscorum verborum constructionumque maxime ex Catone haustorum immiscet ac tandem constituendum esse videtur, quid in Sallustio, quo nullus fere alius scriptor Romanus magis est tractatus, priscum, quid Graecum sit.*) Quaestio autem de graecismis apud Sallustium eo est maioris momenti, quod testimoniis ex antiquitate servatis est affirmatum, Sallustium Graecis constructionibus esse usum. Tamen a veteribus scriptoribus tam pauca eius rei argumenta sunt allata, ut posteriores etiam de constructionibus ex Graeco translatis dubitarent, velut Cortius in edit. Sall. praef. p. II: „Cum mihi admodum puero Sallustius praelegeretur, subinde admonebar: durum hoc genus dicendi, illud imitari non decet, antiquum istud vocabulum et obsoletum, Graeca haec constructio, non Latina. Ea postea a magnis multis viris

*) Quod F. Deltourii librum: de Sallustio Catonis imitatore, Paris. 1859 in nostris bibliothecis non reperi, magnopere doleo.

ita scripta esse, comperi. Paraveram itaque iam ante hos septem annos usibus meis notulas quasdam in Bellum maxime Catilinarium, quae Latinitatem illam, quam olim pro Graeca, obsoleta, aspera, ut eram doctus, habueram, a Cicerone, Livio, Tacito etiam adhibitam esse, ostenderent.“ Certe etiam in Livio et Tacito graecismos invenies atque etiam in prioribus Ciceronis orationibus et apud auctorem ad Herennium Graecae syntaxeos auctoritas cognosci potest.*) Dehinc non est praetermittendum, in Sallustio multas constructiones occurrere, quae posterioribus temporibus in Latinitate argentea quae vocatur multo crebriores reperiuntur. Quapropter Sallustius quasi pro praenuncio Latinitatis posterioris habendus est. Igitur ea modo constructio pro graecismo est habenda, quae non aliter nisi ex Graeco sermone intellegi potest.

Tamen Gerlachii sententiae in commentatione de proprietate sermonis Salustiani vol. III. p. 331 assentiri non possum: „quae nonnullorum fuit opinio, plurima apud Salustium ex Graecis esse translata, ea solo illorum testimonio refellitur, qui in oratione componenda Salustium priscos Latinos scriptores, inprimisque Catonem secutum esse comprobaverunt.“ Ex eo enim, quod Sallustius multa ex Graecis scriptoribus hausit, non sequitur, eum non potuisse eodem modo ex priscis Latinis scriptoribus maximeque ex Catone multa in usum suum transferre. Neque enim ita translationes et graecismi sunt intellegendi, ut tota Sallustii opera ex iis esse composita coniciamus. Et totum operum consilium et singula multa consilio operis Thucydidei sunt adaptata, multae sententiae constructionesque ex Graecis scriptoribus translatae, multa ex priscis Latinis scriptoribus praecipueque ex Catone hausta — quia Sallustio brevitas Thucydidea et prisca verba ingenio Romano aptissima esse et sermoni priscum illum colorem Romanum reddere videbantur, — tamen multo plurima Sallustii ipsius sunt propria. Translationes igitur ita sunt intellegendae, ut iis Sallustius opera

*) Quare Vechnero in libro, quem inscripsit „Hellenolexia“ non poetarum modo, Horatii, Tibulli, Propertii, Ovidii aliorum praecipuam rationem fuisse habendam puto, sed vel maxime auctoris ad Her., Sallustii, Varronis, priorum Ciceronis orationum.

sua se ornare putet, non componere. Permira Gerlachii est sententia; nam in commentariis permulta, quae aliter explicare nescit, ad graecismos refert. Tamen sententiam suam Gerlachius ex parte compensat verbis statim sequentibus: „Verborum structuram quod attinet totumque orationis colorem, nonnulla quidem plane ex Graecis expressa dixeris, ita ut nonnisi his comparatis explicari et intelligi possint; longe plurima autem ita conformata, ut et prisco sermoni et autoris ingenio optime convenirent.“ Deinde Gerlachius exempla compluria graecismorum affert, recta nonnulla, nonnulla falsa. —

Animum igitur advertamus ad graecismos, ita tamen, ut etiam nonnulla quaestioni nostrae subiciamus, quae a multis pro graecismis babentur, sed longe aliter sunt explicanda. Qua in quaestione optimum visum est eum ordinem sequi, ut primum quae in Catilina, deinde in Ingurtha, tum in historiis memoratu sunt digna, exponamus.

Ad graecismum referendus esse non videtur absolutus nonnullorum verborum usus, ut „invadere“ Cat. 2, 5. 10, 6. Iug. 41, 9, „degustare“ Cat. 22, 2, „obtinere“ Iug. 80, 7, „incessere“ Iug. 13, 7. 41, 3. Cat. 7, 3. 13, 3. Quo iure hic usus pro Graeco sit habendus, ut nonnulli volunt, non video. Recte Kritzius ad Cat. 2, 5 et 22, 2 annotat, verba simpliciter esse posita absolute. De graecismo igitur non est cogitandum. Nam ex eo, quod Graeci quoque similia verba absolute ponunt, minime sequitur, Latinum dicendi usum ex Graeco esse translatum. Graecismum igitur non concedemus, nisi argumentis exemplisque ex Graeco allatis probatur. — Quod de verbis supra allatis, idem dicendum est de verbo „convertere“ Cat. 6, 7, quod Kritzius reflexive esse positum dicit pronomenque „se“ ex interpolatione accessisse. Quam ad sententiam comprobandam docet praeter alia apud alios comparanda esse quae huius generis accurate collegerit Vechner. Hellenolexia p. 59—79. Vechnerus multa quidem exempla affert, quibus verba activa reflexive et deponentia passive ponuntur; sed nullo loco demonstrat, eum usum ex Graeco esse translatum, quamvis similia exempla apud Graecos reperiantur. Quod attinet ad nostrum locum Cat. 6, 7, sequamur potius lectionem, quam Dietschius et Iordanus receperunt: „regium imperium . . . . in superbiam dominationemque se convortit.“ Nam „se“ non est omissum nisi in codicibus interpolatis.

Simili modo passivum verbi deponentis „adipisci“ aliorumque verborum usum (Cat. 7, 3: „adepta libertate“) pro graecismo habere non possum, quamvis Vechnerus Hellenol. p. 61*) contrariam sententiam sequatur. Ruddimannus quoque in Institt. Gr. I. 3 p. 288 multa affert exempla itemque Zumptius in XII. edit. 1865 § 632, tamen de hoc Vechneri graecismo nihil dicunt.

Nec minus Cat. 11, 8: „victoriae temperare“ sich im Siege mässigen et Iug. 85, 9: „illis difficile est in potestatibus temperare“ ad graecismum referri non possunt. cfr. Vechner. Hellen. p. 74 primae edit. „Temperare“ enim initio intransitive usurpatum esse videtur. Ad Her. 2, 19, 29: „cui mirum videbitur, istum a maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse?“ Hoc loco verbum deponens non forma passiva, sed activa exprimitur.

Etiam ellipsis particulae „magis“ ante „quam“ ad graecismum referri non potest. Nam apud Graecos is usus omissionis particulae *μᾶλλον* ante *ἤ* inveniri fere non videtur, nisi apud verbum *βούλομαι*, ut Matthiae Gr. Gr. § 455 Adn. 8 exponit. Apud scriptores vero Romanorum nonnullos is usus vulgatissimus erat atque editores Sallustii (cf. maxime Kritzium ad Cat. 8, 1) grammaticique exempla afferunt ex Plauto Livio Tacito. Zumptius § 690 Adn. dicit, „magis“ ante „quam“ in Latinitate posteriori saepius omitti atque Madvigius § 308 Adn. similia exponens nostrum quoque locum Cat. 9, 5 affert: „benificiis quam metu imperium agitabant.“ Gerlachius et Kritzius, meliores codices secuti, „magis“ nostro loco omiserunt, Dietschius vero et Iordanus receperunt. Cod. P. Sorb. 500 nonnullique alii primae familiae codices „magis“ non habent. Quare miror, cur Iordanus, alias semper codicem P secutus, hoc loco eius scripturam spreverit atque vocem „magis“ aliorum codicum receperit. Quod paullo ante Cat. 8, 1 meliores codices habeant: „fortuna res cunctas ex lubidine m a g i s

*) Primam Hellenolexias editionem cito; nam secundam, ab Heusingero Gothae 1738 curatam nancisci non potui.

quam ex vero celebrat obscuratque," (quo loco nonnulli codices „magis" etiam omittunt,) nihil refert. Sallustius enim eiusmodi constructionum mutationem amat et cuique generi verborum conformationis praeter cetera favet. Igitur cum causa, quae cogat non sit, ab optimorum codicum scriptura recedendum non esse puto. Quare in discrepantia manuscriptorum cod. P. sequamur scribamusque „magis" etiam locis sequentibus Cat. 48, 5: „tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur" et Cat. 52, 3: „res monet cavere ab illis magis quam quid in illos statuamus consultare." Cum porro Cat. 20, 17 omnes Mss habeant „magis", ne minima quidem est causa, cur ab ea lectione recedamus.

In oratione Catilinae apud coniuratos Cat. 20,3 editores omnes, ut videtur, praeter Cortium scribunt: „Quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi". Haec plurimorum et optimorum codicum est scriptura. „Quae" vero omissum esse in Nazariano et Commeliniano testatur Gruterus. Item omissum est in cod. Vat. IV., quem Gerlachius nominavit (B. Vatic. 1834.) fine saec. XI vel initio XII scripto atque in cod. Monacensi (m. apud Dietsch.) 14777 saec. X vel XI super lineam est scriptum. Quod nihil refert; nam ambos codices secundae familiae ascribendos esse constat. De codicum autem Nazariani et Commeliniani praestantia inter criticos est contentio. Ita Dietschius in ed. mai. Conmentationes p. 6 codicem Nazarianum optumum nominat et dignissumum, qui investigetur et denuo exploretur. Longe alia de eo codice Iordani est sententia in Herme vol. I. 1866 p. 240, qui quo iure Nipperdeius Nazarianum Gruteri tanti fecerit, ut nisi repertus fuerit, de constituenda Sallustii recensione desperandum sit, se non intellegere dicit. Cuius generis Commelinianus fuerit, nunc iam diiudicari non posse Dietschius Conm. p. 6 censet. cf. Iordan. in Herme I p. 241. Nos quam partem sequamur, ex ipso loco nostro videamus.

Pronominis „idem" cum dativo structuram graecismum (*ὁ αὐτός τινι*) atque a poetis scriptoribusque posterioris aetatis usurpatum esse, a Zumptio § 704 Adn. et Madvigio § 247. Adn. 8 expositum est. Ex poetis porro Ianius de arte poetica Latina p. 123 exempla affert Lucretii, Horatii, Ovidii, Calpurnii, Claudiani. Ex

prosae orationis scriptoribus Ruddimannus Instt. gramm. Lat. pars II p. 94 Adn. 57 cur. Stallbaum exempla affert Quintiliani, Iustini, Traiani ad Plin., Ciceronis ad Fam. 9,6. Apud Ciceronem quidem hic usus concedi non potest. Nam Süpflius in edit. epistolarum Ciceronis selectarum locum ita scribit: „quod non idem illis censuissemus", et explicat: „was wir nicht auch zugleich ihnen gerathen hätten; Ueber censere alicui vgl. ad Fam. 9,2,4: Tibi igitur hoc censeo. Fälschlich wollten daher einige Erklärer illis als Dativus von dem Worte idem abhängig machen: dass wir nicht das Nämliche, wie sie, beschlossen hätten". Igitur certum est, eum graecismum apud aureae aetatis, quae vocatur, scriptores prosae orationis non inveniri, sed ab scriptoribus demum posteriorum saeculorum adhiberi. Quare scripturas, quas codices Nazarianus, Commelinianus, Vatic. 4 exhibent, pro falsis esse habendas et Iordani de Nazariano sententiam maxime esse comprobandam puto. Nostro igitur loco Cat. 20,3 contra unum Cortium cum optimis codicibus et cum editoribus Gerlachio, Kritzio, Fabrio, Dietschio, Iordano legimus: „Quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi."

In oratione Catonis Cat. 52,24 verbi „coniurare" cum infinitivo structura in graecismis est numeranda. Omnino enim Sallustius amabat multa verba, quae cum contentionem aut consilium exprimant vulgo cum particulis „ut, ne, ad c. gerund." aliis construuntur, cum infinitivo coniungere; eumque poetarum usum ex Graeco translatum illustrant Madvigius § 389 Adn. 2, Zumptius § 616, Badstüberus: de Sallustii dicendi genere. Berol. Friedr. Wilh. Gymn. 1863 p. 42 sq., Kritzius ad nostrum locum. Huius nostri loci Cat. 52,24: „coniuravere nobilissumi cives patriam incendere" eorumque quae sequuntur similitudinem cum loco ex oratione Cleonis Thuc. 3,39,2: „*ἐζήτησάν τε μετὰ τῶν πολεμιωτάτων ἡμᾶς στάντες διαφθεῖραι*" esse, iam in priori capite animadvertimus, ubi de Catonis oratione disseruimus. Fortasse Sallustius ea verbi *ζητεῖν* cum infinitivo structura commotus est, ut simile verbum, quo consilium significatur, cum infinitivo coniungeret.

In oratione Adherbalis Iug. 14,3 Iordanus et Dietschius, primam manum codicis P[1] nr. 1576 secuti,

scribunt: „vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum benificia possem a vobis auxilium petere“. Mirum est, quanta hoc loco codicum sit discrepantia et quantopere optimi codices rectum atque vulgatum hunc dicendi usum turbaverint. Nam altera manus in cod. P[1] pro „possem“ scripsit „posse me“ eandemque scripturam plerique et optimi praebent libri, in quibus etiam P. Vaticanus autem 3864, qui orationes modo et epistulas ex operibus Sallustii exhibet et in praestantissimis libris a multis numeratur, pro „possem“ scribit „posse“. Gerlachius „me“ omitti posse putat more Graecorum, quibus solemne sit, ubi et verbum finitum et accus. c. inf. ad eandem personam referantur, pronomina omittere. Sed Badstüberus l. l. p. 45 eum omissionis usum recte ita circumscribit, ut Sallustius in structura accusativi cum infinitivo modo subiecti accusativum „se“ vel „eum“ omittat. Ut omissionem pronominis „me“ nostro loco coniciamus, nihil cogit, cum adhuc docti simus nec facile quisquam aliud melius docuerit, verbum „velle“ cum infinitivo esse coniungendum.

Ceterum eandem, quam comprobavi, verbi, „vellem“ constructionem Sallustius quoque in epistula Adherbalis ad senatum Iug. 24,9 adhibet: „ego quidem vellem haec quae scribo . . . . vana forent potius quam miseria mea fidem verbis faceret“, quo loco lectionum non est varietas. Quo rectius mihi videntur egisse Dietschius et Iordanus, quod lectionem codicum P et V respuerunt et scripturam manus I cod. P[1] secuti sunt. Nobis vero haec res argumento est, codicem quoque Vaticanum interpolatum esse, de quo Iordani in Herme vol. I p. 234 iudicium praeclarum conferas. — Sed ut codicem quoque P non plane ab interpolationibus liberum esse putem, commoveor loco nostro.

In oratione Lepidi pro graecismo habenda sunt verba „privatas opes facere“ § 26, quae significant, „parare, comparare.“ Horum verborum exemplar esse videntur verba in prooemio operis Thucydidei bis repetita τὴν κτῆσιν τῶν χρημάτων ποιεῖσθαι Thuc. 1, 8, 2. 1, 13, 1. Similem significationem habet „facere“ in fragm. inc. 67 apud Dietsch. (33 ap. Kr.): „exercitum argento fecit“, quod Sen. Ep. mor. 19,5 (114), 17 ita explicat: „pecunia paravit“. Simili modo cum Graeco congruunt atque ex

eo translata esse videntur Iug. 56,4: „pugnam facere“ et Cat. 26,5: „bellum facere“ = μάχην et πόλεμον ποιεῖσθαι. Tamen hae locutiones apud alios quoque scriptores inveniuntur.

Ex oratione Philippi de constructione brevissima, ter repetita, est agendum, cuius exempla haec sunt:

§ 3: „M. Aemilius . . . . . exercitum opprimundae libertatis habet“.

§ 6: „nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant, cum privata arma opprimundae libertatis cepisset“.

§ 10: „arma civilia . . . . cepit, non pro sua aut quorum simulat iniuria sed legum ac libertatis subvortundae“.

De his aliisque Sallustii aliorumque scriptorum locis, quibus gen. gerundivi invenitur, et interpretes Sallustii et grammatici diversissimas proferunt sententias. Ut hos locos tractem eo maxime commotus sum, quod hac in structura vulgo ellipsin particulae „causa“ coniecerunt (ita iam Priscian. 18, 24) et quod Zumptius §§ 764. 663 et alii eam constructionem ex Graeco esse translatam putant. Ellipsin enim particulae „causa“ et in Graeco ἕνεκα aut ὑπέρ afferunt, sed exemplis illustrant, quae omnino huc trahi non possunt. cfr. Matthiae gramm. Gr. § 540, Adn. 1. Zumptius § 764 Graecorum dicendi usum affert, ut genitivum infinitivi declinati (τοῦ φεύγειν) ad significandum consilium in aliqua actione omissa praepositione ἕνεκα aut ὑπέρ usurpent. Usitatam hanc Graecis scriptoribus maximeque Thucydidi structuram illustrat Krügerus gr. Gr. § 47, 22 Adn. 2 et ad Thuc. 1, 4. Sed nostris ex Sallustio locis non est genitivus infinitivi declinati (i. e. gerundii), sed genitivus part. fut. pass. (i. e. gerundivi). Quapropter graecismus nostris locis reiciendus et explicatio ex Latinorum usu dicendi quaerenda est.

Sallustius et alii scriptores Latini „esse“ cum gerundivo et substantivo saepius ita ponunt, ut significetur in consilio aliquo persequendo aliquid alicui rei esse utile, commodum, aptum, ad eam rem pertinere. v. Ramshorn. gr. Lat. § 102. 3. Not. 2. Zumpt. § 662. Madvig. § 417 adnot. 4. cfr. Madvig. § 282. Is genitivus gerundivi cum substantivo similitudinem quandam habet cum genitivo qualitatis quem dicunt, vel potius pro eo est habendus. v. Reisig-Haase adnot. 586. Kritzius ad Cat.

6, 7 huius constructionis usum terminis circumscribit nimium angustis, cum ea modo exempla huc trahat, in quibus ipsum „esse“ verbum continetur. Nam „esse“ suppleri quoque, ut Zumptius § 662 monet, et cum eodem genitivo verba putandi, arbitrandi, existimandi eorumque passiva coniungi possunt, ut Ramshornius § 102. 3. Not. 3 recte iudicat. Cuius generis exempla praecipue inveniuntur apud Livium et Tacitum, nonnulla etiam apud Ciceronem, Caesarem, Varronem de r. r. Exempla ex Sallustio, quibus „esse“ adiunctum est, haec sunt:

Cat. 6, 7: „regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat“ die königliche Herrschaft, welche anfangs zur Erhaltung der Freiheit u. s. w. beigetragen, gereicht hatte.

Cat. 46, 2: „poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae rei publicae (Gen.) fore credebat“ er glaubte, dass die Bestrafung Jener ihm zur Last, ihre Straflosigkeit dem Staate zum Verderben gereichen würde.

Loci Sallustii, quibus verbum aliquod putandi, existimandi, cognoscendi cum gen. gerundivi coniunctum est atque ubi verbum „esse“ intellegere licet, hi sunt:

Jug. 88, 4: „quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit, statuit“ etc. nachdem er dies nur als ruhmvoll und nicht als zur Beendigung des Krieges beitragend, dienlich, nützlich erkannt hatte, beschliesst er....

or. Lep. 8: „ille eo processit, ut .... omnia retinendae dominationis honesta existumet“ jener ging so weit, dass er alles zur Behauptung der Herrschaft Beitragende, für sie Nützliche, Dienliche für gut hält.

cfr. ad hunc usum exempla a Ruddimanno Instt. gramm. Lat. II. p. 115. Not. 1 et p. 245 ex aliis scriptoribus allata permulta.

Locos tres ex oratione Philippi supra allatos eadem ratione explicari posse etiam Badstüberus: de Sall. dicendi genere p. 48 consentit. Quapropter his in exemplis graecismus non est quaerendus, sed in iis quoque genitivus pro specie genitivi qualitatis est habendus, qui simplicissime ad nomen ei coniunctum referri potest ita ut primum locum transferamus: M. Aemilius .... hat ein Heer, dienend zur Unterdrückung der Freiheit, d. h. von der Eigenschaft, dass es die Freiheit unterdrückt. Secundus locus § 6 primi (§ 3) quodam modo est repetitio. Tertius locus ita est transferendus: er griff zu den Bürgerwaffen, d. h. er erregte einen Bürgerkrieg nicht für sein oder Anderer vorgeblich erlittenes Unrecht, sondern einen solchen, der dazu beitrug, dazu diente, Gesetze und Freiheit zu zerstören.

Omnibus his locis exercitus armorumque proprietas genitivo addito accuratius describitur. Facilius hic usus dicendi intellegi posset, si pro simplici genitivo Sallustius posuisset constructionem relativam, hoc modo: „M. Aemilius .... exercitum, qui opprimundae libertatis est, habet,“ quae comprehensio longior invenitur Cat. 6, 7: „regium imperium, quod initio conservandae libertatis fuerat.“ Negare non possumus, Sallustium tribus his locis praecipuam adhibuisse brevitatem neque aliam eius rei ei fuisse causam nisi quod eam brevitatem generi dicendi Philippi aptissimam habuerit.

Quo iure nonnulli verborum maturandi (Cat. 18, 8. 36, 3. Iug. 79, 5. 36, 1. fragm. 1, 31), festinandi, properandi etc. cum infinitivo constructionem pro graecismo habeant, (cf. *οἴχομαι, φθάνω, διατελέω* c. part.) non intellego. Is enim esset graecismus, si Latina verba commemorata item cum participio construerentur. Cognoverint quidem Romani, constructionem verborum *οἴχομαι, φθάνω, διατελέω* c. part. brevissime et commodissime verbis maturandi et aliis cum infinitivo exprimi, tamen ex eo non sequitur, cum infinitivo constructionem Graecorum dicendi rationem esse. Recte igitur Laws in commentatione de dicendi genere Sallustii. Roessel. 1864 p. 19 id discrimen commemorat, tamen eam constructionem in graecismis numerat: „Kritzius et Herzogius mea quidem sententia non satis accurate de „maturo“ verbo disputaverunt. Nam hi viri docti dicere debuerunt, „maturare, occupare et contendere“ verba latina et „*οἴχεσθαι, φθάνειν* et *διατελεῖν*“ verba Graeca inter se ea re differre, quod illa (latina) semper cum infinitivo, ut hoc loco (Cat. 18, 8) cum infinitivo „dare“, haec (graeca) fere semper cum participio coniungantur.“

Quod post adiectivum „multus“ si cum altero adiectivo coniungitur copula „et“ aut „que“ ponitur (Iug. 28, 5: „multae bonaeque artes“ multisque aliis locis), omnino ex Latino usu dicendi est explicandum, nec minima est causa, cur is usus pro graecismo sit habendus, ut multi

viri docti voluerunt. Eiusmodi sententias dubias proferendi nulla est causa.

Formulam „bellum sumere“ non ex Graeco *πόλεμον αἵρεσθαι* esse formatam, sed ex Latino usu dicendi esse explicandam, Kritzius ad Iug. 20, 5 demonstravit.

At verba Iug. 34, 1: „multitudo.... terrebat eum clamore voltu ..... atque aliis omnibus quae (Acc.) ira (Abl.) fieri amat“ ex Graeco sunt formata. „Amat“ enim hoc loco significatione: es pflegt absolute ponitur et cum acc. c. inf. coniungitur eodem modo quo „constat“ construitur. Kritzius ad nostrum locum usum Graecorum affert, qui verbum *φιλεῖν* aut cum nominativo substantivi vulgari modo coniungunt aut absolute id ponunt sequente infinitivo vel accusativo c. inf. Ambarum constructionum compluria affert exempla Graeca. Sed ex secundo eorum exemplorum genere non elucet, Graecos etiam acc. c. inf. post *φιλεῖ* ponere; immo omnibus locis ab eo allatis *φιλεῖ* infinitivum habet. Quapropter verbi „amat“ cum acc. c. inf. structura a Graeco dicendi usu diversa est nominanda, quamvis absolutus verbi „amat“ usus certe ex Graeco sit translatus. Mirum quidem est, Sallustium ad eum usum omnino insolitum imitatione loci Thucydidei pervenisse videri, quo loco *φιλεῖ* usitatissime cum nominativo substantivi coniunctum est, Thuc. 2, 65, 2: „*ὅπερ φιλεῖ ὅμιλος ποιεῖν*“, (quamvis etiam tribus aliis locis eadem structura repetatur 4, 28, 3: „*οἷον ὄχλος φιλεῖ ποιεῖν.*“ 6, 63, 2: „*οἷον δὴ ὄχλος φιλεῖ θαρσήσας ποιεῖν.*“ 8, 1, 5: „*ὅπερ φιλεῖ δῆμος ποιεῖν*“). Iam in cap. priori in tractanda oratione Memmii exposui, eam orationem nonnullas translationes ex oratione Periclis apud Thuc. 2, 60—64, qua Athenienses ob animorum abiectionem vituperat eorumque animos erigere studet, videri continere. Eodem loco exposui, capita orationem Memmii sequentia cum capitibus orationem Periclis sequentibus nonnullas habere similitudines; quae sententia comprobatur similitudine locorum Iug. 34, 1 et Thuc. 2, 65, 2, quibus „multitudo“ simul respondet *τῷ ὁμίλῳ*. Praeterea Sallustio commemorata verbi *φιλεῖν* structura in memoria iam erat ex loco Thuc. 3, 81, 4: „*καὶ οἷον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι*“, quem locum transtulit Iug. 44, 5, sed alia atque verbi „amat“ constructione reddidit.

Ceterum Quintiliani 9, 3, 17 commemoratio Sallustiani loci „vulgus amat fieri“ ad nostrum locum referenda esse videtur neque ea verba fragmentis historiarum inserenda esse puto, quae Dietschii quoque est sententia ad fragm. inc. 111.

Iug. 73, 5: „in maius celebrare“ translatum est ex Thuc. 1, 10, 4: „*ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμεῖν*“. Similiter 1, 21, 1 et 8, 74, 2: „*ἐπὶ τὸ μεῖζον δεινοῦν*“, quae Graecus Thucydidis explicator ita interpretatur: „*εἰς τὰ δεινότατα τῷ λόγῳ ἐπαίρειν.*“ Verba „in maius celebrare“ atque „in maius componere“ hist. fragm. 3, 60 propria sunt artis rhetoricae, quorum innumerabilia ex Graeco in Latinum sunt translata praeeunte hac quoque in re Cicerone. Rhetores Latini eam fraudem rhetoricam, quam in luminibus orationis numerabant, significant quoque verbis „exaugere, adaugere, amplificare, laudando tollere“, quae verba in rhetoricis libris Ciceronis, apud Quintilianum et alios rhetores Latinos innumerabiliter inveniuntur.

Quod attinet ad emendationem Sallustianam ex perquirenda imitatione Graecorum profecturam videant critici, ne nimium sperent. Quam nihil interdum ex scriptoris Graeci locis, quos Sallustius transtulit, ad emendationem possit profici, ex uno exemplo perspici licet fragm. 1, 55, quod ex Dem. de Cor. 67. p. 247 translatum est.*) Frustra enim critici studebunt ex Graeco Demosthenis exemplo veram Sallustii manum restituere.

*) De quo egi in superiori capite sub finem.

Theses.

I. Soph. Oed. Col. 161 neque *τῶν* neque *τῷ* intellegi posse. Fortasse scribendum est *νῦν*.

II. Soph. Oed. Col. versum 449: *καὶ σκῆπτρα κραίνειν καὶ τυραννεύειν χθονός* spurium esse habendum.

III. In Lysiae or. de caede Eratosth. § 9: *κατὰ τὴν γυναικωνῖτιν καὶ κατὰ τὴν ἀνδρωνῖτιν* ex interpolatione irrepsisse.

IV. Ut concedamus Sallustium collectionibus sententiarum figurarumque ex Graecis scriptoribus factis usum esse (cf. Sueton. gramm. 10), tamen statuendum est, ad Thucydidis opus eam collectionem referri non posse.

Vita.

Silvius Agathon Maximilianus Dolega a. d. IV Nonas Novembres anni h. s. XLVI Panzereiae in regione Osterodensi Borussiae orientalis natus sum patre Guilielmo matre Silvia vidua Schütz e gente Schütz, quos ambos adhuc vivos colo. Fide primum educatus evangelica nunc profiteor catholicam. Postquam pater rure transmigravit in oppidum, cui nomen est Hohenstein, situm in regione Osterodensi, primis litterarum elementis imbutus octo annos natus in sextam classem gymnasii Hohensteinensis receptus sum, quod illo tempore floruit directore Maximiliano Toeppen, viro illustrissimo, nunc directore gymnasii Marienwerderensis. Mense Martio anni LXV testimonium maturitatis adeptus ad rem vehiculariam me contuli atque in compluribus oppidis provinciae patriae officii mei munus difficillimum executus sum. Tandem perpetuis vigiliis fatigatus sub finem anni LXVI gravi sum morbo affectus; ex cuius longinquitate paullatim recreatus ad lectionem scriptorum Graecorum Romanorumque me converti et constitui in antiquitatis studia incumbere. Igitur autumno anni LXVII me contuli Regimontum atque a viro ill. Gustavo Werther tum prorectore magnifico in numerum civium academiae Albertinae receptus sum. Deinde audivi per quinque semestria professores ill. Friedlaender, Jordan, Lehrs, Schade. Per tria semestria postrema sodalis fui regii se-

minarii philologici, quod floruit primum sub auspiciis professorum ill. Lehrs et Friedlaender, deinde Friedlaender et Jordan. Vere anni LXX hanc almam adii academiam, cuius civis fui per tria semestria. Audivi autem intra haec tria semestria viros ill. Bittner, Elvenich, Hertz, Oginski, Peucker, Reifferscheid, Rossbach, Rückert. Omnibus, qui me docuerunt, viris ill. maximeque professori ill. Friedlaender, qui cum seminarii Regimontani essem sodalis, libentissime in studiis meis me adiuvit, gratiam habeo maximam atque piam gratamque memoriam semper servabo.
